6

R.70

5/6

32
20
640
120
760

124

Don Manuel de Villanueva Cav

R 70
5/6

2 Q 1 183

N.º 2

meses hebreos

Nombres delos meses segun dizen los Hebreos.
Nisam. 1 Marzo. Lat. 2 Abril. Siwam. 3 Mayo. Thamus. 4 Junio.
Alo. 5 Julio. Elu, vel, Tisri. 6 Agosto. Marescoth. 7 Septiembre.
Bul; 8 octubre. Casleo. 9 Noviembre. Tubeth. 10 Diziembre.
Sebath. 11 Enero.
Adar. 12 Febrero.
Estos son los dozes meses del Año en Hebres vueltos en Castellano.

---

Estos nombres son los doze Meses del Año en Hebres vueltos en Castellano.

---

1 Nisam. 1 Março.
2 Lat; 2 Abril.
3 Sivam. 3. Mayo.
4 Thamus. 4. Junio.
5 Alo. 5. Julio.
6 Elu, l, Tisri. 6 Agosto.
7 Marescoth. 7 Septiembre.
8 Bul. 8. Octubre. 9. Casleo. 9. Noviembre. 10. Tubeth. 10. Diziemb.

Aquí M          reposa
de Arias Montano Theologo.

Aquí Montano reposa
de la Biblia sacra vn Sol,
vn Geronimo Español,
y vn David en verso, y prosa.
No se acabara jamas
aunque en estas losas cupo,
que si muchas lenguas supo,
son las que le alaban mas.

20000
365

1000000
120000
60000

[illegible] 0 00 00

i20686900
i20686948

# ITINERARIVM BENIAMINI TVDELENSIS;

IN QVO
RES MEMORABILES, QVAS
ANTE QVADRINGENTOS
*annos totum ferè terrarum orbem notatis itineribus dimenſus vel ipſe vidit vel à fide dignis ſuæ ætatis hominibus accepit, breuiter atque dilucidè deſcribuntur;*

Ex Hebraico Latinum factum
BENED. ARIA MONTANO
INTERPRETE.




ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi regij.
M. D. LXXV.

# ITINERARIVM BENIAMINI TVDELENSIS;

IN QVO
RES MEMORABILES, QVAS
ANTE QVADRINGENTOS
*annos totum ferè terrarum orbem notatis itineribus dimenſus vel ipſe vidit vel à fide dignis ſuæ ætatis hominibus accepit, breuiter atque dilucidè deſcribuntur;*

Ex Hebraico Latinum factum
BENED. ARIA MONTANO
INTERPRETE.




ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi regij.
M. D. LXXV.

## Svmma privilegii.

Regis Priuilegio cautum eſt, ne quis alius præter Chriſtophorum Plantinum, librum hunc, cui titulus eſt, *Itinerarium Beniamini Tudelenſis, &c.* intra octénium imprimat, aut alibi impreſſum in ſuas ditiones importet, venalémve habeat. qui ſecùs faxit, pœna fiſco Regio exſoluenda multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expreſſum eſt, Dato Bruxellæ 9. Auguſt. anno M. D. LXXIIII.

Subſig.

*N. de Zoete.*

# ILLVSTRISSIMO DOMINO IOHANNI OVANDO REGIORVM CONſiliorum Indici, & rationum Præſidi ſummo ac digniſſimo, *Bened. Arias Montanus S.*

SVPERIORIBVS annis Tridenti agenti mihi amici cuiuſdã Veneti munere libellus Hebraicus cõtigit Cõſtantinopoli allatus, cuius inſcriptio erat MAZZAGHOTH BENIAMIN; quem cùm Martino Ayalæ tunc Segobienſium Epiſcopo, doctiſſimo pariter ac piiſſimo viro, neque Hebraicæ linguæ ignaro, oſtendiſſem, vt ad doctorum vtilitatem Latinum facerem ſæpiſſimè monitus fui,

aliis etiam amicis, quibus libelli argumentũ ſignificaui, idem eſflagitantibus; quorum tamen deſiderio illo tempore, quòd aliis curis intentus eſſem, ſatisfacere non potui. Cùm verò in hac diuturna mea peregrinatione horas aliquot mihi ad litterarum ſtudia, quas poteram, à ceteris occupationibus ſaltem nocturno tempore ſuffurarer, inter alia opuſcula; quæ meis lucubrationibus expoſui; libellum etiam hunc Latinè vertendum duxi: quem legentibus pretium operæ facturũ ſperabam propter multã & iucũdam regionum & rerum orbis notitiam, quam allaturum intelligo. Eum autem cùm primùm in manibus Latinè reddẽdum

dũ accepiſſem; illuſtriſſimæ amplitudini tuę dedicare conſtitui, non ingratum fore ſperans viro omnium artiũ ſtudioſiſſimo, & propter ſummã eruditionem ac dexteritatẽ cũ eximia nobilitate cõiunctam iſtis quibus fungeris miniſteriis per prudentiſſimum regẽ noſtrũ prędecto. Cui cũ inter cetera munia illud etiã præclariſſimũ demãdatum ſit ſupremæ cognitionis & gubernationis rerum omniũ, quæ regnis ac ditionibus per totũ Oceanũ ad Regẽ noſtrum pertinentibus cõtinentur; atq. ad hanc curã prudenter atq. ſapienter ſuſtinẽdam geographiæ cõmodiſſima cognitio cõparata tibi antea attento ſtudio conſtiterit: eam quoque

 terra-

terrarum orbis faciẽ, quã auctor hic ſua tẽpeſtate obſeruatam depinxit, cognitu non iniucundam fore certò ſcio; præcipuè cũ breuis libelli lectio ſit, & qua maximarum rerum amplitudinis tuæ induſtria ac diligẽtia curandarũ moles nõ poſſit augeri; labor verò nonnihil recreari poſſit; niſi me opinio fallit, atque animus meus tã multis annis tibi deuinctiſſimus, quẽ vt tibi vir ampliſſime perſpectiſſimum eſſe exiſtimo, ita omni ætati noſtræ & futuris etiã ſæculis (ſi tãtum induſtriæ meæ exigui fructus durare poſſunt) volui eſſe quàm teſtatiſſimum. Vale, & Ariam tuum ſalutari Deo commenda. Antuerpiæ Idib. Octob. M. D. LXXIIII.

# IN ITINERARIVM BENIAMINI

## PRÆFATIO.

SINGVLARI quodam Dei munere Hiſpanorum genti tributum eſſe arbitror, vt terrarum orbem, remotiſſimaſq́ maris ac terræ vias omnium mortalium audaciſſimè & feliciſſimè percurrant; nulliſq́ temporum locorúmve periculis aut difficultatibus deterriti ab incepto vmquam, niſi vel voto vel vitæ peracto curſu, deſiſtant: atque ij qui poſtremas orbis partes habitare cenſentur, tamen ſe in ipſo medio terrarum loco eſſe exiſtimantes, tamquam totius mundi ciues nullum non adeant & penetrent locum, nullibi non verſentur, nulla hominum ceterorum commercia non frequentent. Nam præter quā quòd hæc noſtro ſæculo Europa ferè omnis Hiſpanis vel militibus, vel mercatoribus, vel aulicis viris principibus & principum miniſtris, vel ſtudioſis litterarum referta eſt, multiq́ in Aſia, plurimi in Africa negotia habent; antiquis etiam Græcorum, Carthaginienſium atque Romanorum temporibus nulla in expeditione, ex iis quæ memorabiles habentur, Hiſpanum militem defuiſſe conſtat: quòd natio hæc ad ferendos labores, pericula obeunda,

*da, reſq́; gerendas perpetuò ſtrenua atque apta ſit, moribus & ingeniis polleat temperatioribus, & ad omniũ populorũ conſuetudinẽ vel excipiendam & fouendam, ſi æquiorem experiatur; ſin verò duriorem, vel ferendam vel tolerandam apprimè aptis: deinde etiam videndarum & cognoſcendarum ſtudio rerum, vt ſi quæ alia, maximè ducatur; quæ omnia aptos homines ac promptos, atque ad peregrinandum impigros reddunt. His etiam illud accedit, quòd cùm varij vario euentu aliorum regiones adeant & frequentent; Hiſpani ferè omnes præter ceteros mortales peregrinationibus maximè excoluntur: adeò vt inter hos ij, qui ſua, in quibus nati ſunt, loca non exceſſerint, quamquam pij atque boni ſint; rudiores tamen & ad gerendas res minus idonei plerumque videantur. Adiuuantur profectò multi ex his lectione & conſuetudine eorum, qui multa vel viderunt vel audierunt aut legerunt: ſed dici vix poteſt, quanto diſcrimine referat inter eos, qui ſolo priuatæ vitæ vſu, atque eos, qui itineribus faciẽdis docti inſtructiq́; euaſere.*

*His omnibus de cauſsis illud eueniſſe arbitror, quod magno diuinæ prouidentiæ atque indulgentiæ argumento, admirabiliq́; beneficio noſtra ætate, atque adeò recenti adhuc viuentium hominum memoria Hiſpaniæ regibus eſt conceſſum, vt noſtrorum hominum opera remotiſsimæ, atque multis antea ſæculis apud Græcos & Latinos ignotiſsimæ prouinciæ illæ, quas Americas, Peru & nouam*

nouam Hiſpaniam vocant, aperirentur, & illarum incolæ atque indigenæ ad humanorum morum, noſtræq́ꝫ conſuetudinis, atque ad id quod maximi faciendum eſt, hoc eſt ad Chriſtianæ religionis communionem conciliarentur. ad quam efficiendam rem nullus vmquam tantus labor ſuſcipi potuit, vt fructui, qui ex euentu percipitur, par eſſet. Iam verò Luſitanos, qui & ipſi Hiſpani ſunt, & religionis cultores obſeruantiſſimi, rerumq́ꝫ publicarum ſtudioſiſſimi habentur; magnam huius laudis partem obtinere nulli hodie totius orbis genti ignotum eſt: quippe quos longiſſima nauigatione per Atlanticum, Aethiopicum & Indicum Oceanũ inſtituta, bellis aduerſum Chriſtianæ fidei hoſtes feliciter geſtis, Orientis totius continentem oram ad Synarum vſque regionem cum inſulis omnibus interiectis, partim virtute bellica ſubegiſſe, partim verò commerciorum & collatorum beneficiorum conſuetudine, ſibi atque Chriſtianis omnibus, qui occidentaliores regiones incolunt, aſſociaſſe manifeſtum eſt. Quiſnam verò apertarum terrarum fructus mortalibus contingere ſoleat, præterquam quod res vſuſq́ꝫ indicat, in Geographia ſacra abunde eſt à nobis demonſtratum. Huiuſmodi verò varias orbis regiones viſendi & cognoſcendi ſtudium Hiſpanis hominibus fuiſſe, argumento eſt Pomponij Melæ Bætici doctiſſimus liber De ſitu orbis inſcriptus; cui vel deſcriptionum elegantia, vel breuitate atque perſpicuitate, vel ipſa rerum

elogium Pomponij Melæ

 comme-

*commemoratione & copia nullus eiuſdem artis quamuis copioſius atque eloquens auctor, mea quidē ſententia, eſt anteponendus. Sed illud maximè hanc Hiſpanorum propenſionem, diligentiam & felicitatem probat, quòd ex Iudæis etiam (quod hominum genus poſtquam à Deo repulſum inter ceteros mortales perinde atque captiuum verſatur, ad huiuſmodi labores timidius, ineptius atque ſegnius eſſe ſolet) nonnulli etiam in Hiſpania nati & educati hac etiam parte audaciores, flagrantioreſq́ extiterint, ídque non ſine felici exitu tentauerint: inter quos præter Moſen Nahamani filium Gerundenſem doctum virum, vnus quoque Abrahamus Eſdræ filius Toletanus, homo philoſophus ac medicus eruditiſsimus, ſacrorumq́ librorum ſua lingua commentator illuſtris, fuit; à quo alij atque alij qui editi ſunt libri, in aliis atq. aliis terræ prouinciis vel maris inſulis conſcripti fuiſse indicantur. Verùm omnium qui de hoc genere ſcriptum aliquid reliquerunt, præſtantiſsimum & locupletiſsimum non ſolùm auctorem, ſed etiam teſtem et inſpectorem Beniaminum Tudelenſem ex ea Cantabriæ parte, quæ nunc Nauarra vocatur, virum Iudæum fuiſse, liber ab eodem compoſitus apertè declarat; oſtenditq́ neminem vmquam ex Græcis aut Latinis Geographis exſtitiſse, qui continuato labore & ſtudio tantū itineris inierit & confecerit; huic quippe homini totum ferè terrarum orbem, præter nunc recēs repertas Oceani occidui prouin-*

cias,

cias,adire & perluſtrare,vel ſaltem totum hoc noſtrum hemiſphærium peragrare , & peragratum deſcribere contigit. Ille enim Iſraëlitas omnes,qui per cūctas ferè regiones diſperſi ſunt,viſendi ſtudio ex Hiſpania ante annos vnum & quadringentos profectus,Galliam,Italiam,Græciam,Macedoniam, Aegæi maris inſulas,Phrygiam,Pamphiliam, Armeniam,Aſiamq́ omnē minorem,vtramq́ Syriam, Palæſtinam & Damaſcenam, Chaldæam regionem,Arabiam, Perſiden & Indiam ad Sinas vſq. Deinde Indici oceani inſulas, Aethiopiam eā, quæ vltra Aegyptum eſt, Aegyptum, Arabiæ ſolitudines, Siciliam, Germaniam & Bohemiam atque Pruſiam notatis itineribus dimenſus peragrauit; peregrinationemq́ ſuam adeò breuiter atq. dilucidè deſcripſit,vt nulli ex antiquis vel arte cedere debeat,vel labore non anteponi iure poſsit. Additis iis omnibus quæ in locorum vel hominum obſeruatione commemoranda videbantur; atque fabularum ab hiſtoriis non indoctè notato diſcrimine cū opportuna ſignificatione variæ atq. antiquæ lectionis iuxta ſingulorum locorum commoditatem obſeruatæ:quæ cùm in aliis libris, tum præcipuè in ſacris ſcriptis explicandis non vulgari vſui eſse poſsit. Quòd ſi totum opus,vt ab auctore ipſo conſcriptum eſt,nobis contigiſset,longè plura, quæ ad variam naturæ rerum cognitionē facerent,eaq́ plenius & melius quā in hac epitome ſunt deſcripta, haberentur,quæ nunc breue hoc tātum opuſculum

*nactis deſiderari neceſse eſt: ſed huiuſmodi iacturarum exēpla iam frequenti incommodo conſpiciūtur apud hiſtoricos alioſq. auctores, quorum opera cum magno poſteritatis damno à quibuſdam in cōpendium ſunt redacta. Sic Iuſtinus, ſic Florus, alter Trogi Pompeij libros omnes, alter T. Liuij magnam partem, dum in breue cogere ſtuderent, è manibus hominum prorſus abſtulerunt: quo ſit vt plus inuidiæ quàm compendij huiuſmodi abbreuiatorum diligentia lectoribus & veri cognoſcendi cupidis afferat. Audio autem huius Beniamini integrum opus in Aegypto apud Iudæos Alexandriæ agentes conſeruari, cuius exempli copiam vel principis alicuius liberalitate, vel ſtudioſi cuiuſpiam cura in publicum vſum aliquando nobis fieri percupimus, non dubitaturi interpretandi laborem ſubire, ſi noſtræ id fuerit facultatis; ſin minus, non deerunt bona ingenia ad iuuandos mortales nata, quæ id plenius atque melius, quàm nos, præſtent. Nobis tamen quoad vita diuino beneficio ſuppetierit, quidquid opportuni tēporis nanciſci contigerit, ad piorum et ſtudioſorum hominum vtilitatem in bonis litteris, maximè verò in ſacris ſtudiis pro ingenij noſtri tenuitate excolendis ponere, vota noſtra Deo probante, certum conſilium eſt.*

PERE-

# PEREGRINATIO BENIAMINI FILII IONÆ IVDÆI.

EPITOME narrationum Beniamini filij Ionæ Tudelenſis, ex Nauarræ ſiue Cantabriæ prouincia, qui contentè ſuſcepto itinere plurimis & remotiſſimis peragratis regionibus eas res omnes deſcripſit, quas vel ipſe conſpexit, vel à probatę fidei viris accepit; eaſdemque in Hiſpania retulit. neque ſolùm res huiuſmodi commemorauit, ſed maximam etiam partem magnorum ac principum virorum (Iſraëlitarum) qui in ſingulis locis ab ipſo perluſtratis morabantur. Hæc omnia demum ipſe in Caſtellæ regionem reuerſus populo ſuo narrauit, anno nongenteſimo trigeſimo tertio. año de 933.

Ab orbe condito 4933. Nunc agitur 5334.

Fuit verò Beniamin narrationis huius auctor vir prudens & ingenioſus, legis & conſuetudinum peritus, veriq́ue amantiſſimus; adeò vt quæcumque dixerit, poſtea diligenter examinata & explorata cōſtantem fidem fuerint promerita. cuius verborum initium ſic habet.

DIXIT Beniamin filius Ionæ probandæ memoriæ: Ex Cæſar-Auguſta vrbe initio profectus,

Cæſar. Auguſta. profectus, ſecundum Iberi fluminis ductum Tortoſa. Tortoſam veni; indeq. Tarraconã petij an- Tarracona. tiquam vrbem à filiis Enac & à Græcis ædificatam; cuius conſtructionis par elegantia in nullis aliis Hiſpaniæ regionibus inuenitur. adiacet autẽ vrbs ipſa mari. Inde verò duo- Barchinonia. rum dierum itinere Barchinoniam ingreſſus fui, in qua Synagoga ſacra eſt ſapientibus ac prudentibus frequens, & magnatibus etiam ornata, inter quos Magiſtri Seſeth & Sealthiel & Selomoh filius Abraham filij Hhazzidai felicis memoriæ. Eſt autẽ parua, ſed elegans vrbs ad ipſum maris littus ſita, variis negotiatoribus ex omni regionẽ eò cõfluentibus celebre emporium Græcis, Piſanis, Genuenſibus, Siculis, Ægyptiis, Alexandrinis, & ex terra Iſraël, omnibuſque finibus illius. Inde verò profectus itinere ſeſquidiei Gerunda. Gerundam veni; in qua Synagoga parua eſt Narbona. Iudęorũ. Illinc trium dierũ itinere Narbonã, quæ vrbs legis anteſignana eſt: ex ea enim proficiſcitur lex in omnes regiones; vbi ſapientes ſunt & magni & ſuſpiciendi, in primis Kalonymos, filius magni ac ſuſpiciendi Theodori bonæ memoriæ, ex ſemine Dauid recta genealogia, qui prædia & fundos habet à principibus regionis, nullius hominis vim aut impetum metuentia. eſt etiam imprimis Abraham Synedrij caput, & Machir,

&

& Iehuda, & alij his pares ſapientum diſcipuli. ſuntq́ue hodie in ea Iudæi trecenti ferè. Inde verò leucis quatuor in vrbem Bidraſch, in qua vniuerſitas eſt ſapientum diſcipulis culta; quorum capita ſunt Selomoh Hhalpetha, & Ioſeph filius Nathanael bonæ memoriæ. Inde verò duorum dierum itinere facto in Tremulum montem, qui Peſſulanus olim, ab incolis nunc Mompelier vocatur, vrbem negotiationi & mercaturæ opportunam, à mari leucis duabus diſſitam, à variis nationibus commerciorum cauſſa frequentatam, Idumæis & Iſmaëlitis ex Algarba, Longobardis, & ex magnæ Romæ regno, atque ex omni terra Ægypti & Iſraëlis, ex omni regione Galliæ & Hiſpaniæ & Angliæ; atque ex omnibus gentium linguis ibidem inueniuntur operâ Genuenſium & Piſanorũ. Sapientum quoq. diſcipuli ibidem ſunt hac ætate percelebres, in primis Reuben Theodori filius, & Nathan Zachariæ filius, & omnium præcipuus Semuel, & Selamias, & Mardochæus, qui iam vita defunctus eſt. Nonnulli inter illos ditiſſimi ſunt & liberales in pauperes; qui cunctis ad ſe venientibus ſubſidium ferũt. Inde paraſangis quatuor eſt Lunel inſignis vniuerſitas Iſraëlitatum legis ſtudio die nocteq́ue vacantium, vbi magnus ille magiſter Meſſulam felicis recordationis

tunc

בידרש forte Beſiers.

געש

ארץ אלגרוה

Montis Peſſulani celebritas.

Lunel.

tunc erat cum quinque ſapientibus & diuitibus filiis Ioſeph, Iſaac, Iacob & Aharon, atque Aſſer Phariſæus, qui ſeparatus ab oculis mũdi noctu diuque libris incumbit, ieiunans, & carnium eſu perpetuò abſtinens; idemq́ue in antiquorum ſententiis ac traditionibus apprimè verſatus, & magnus Moſes Niſus, & Samuel ſenex, & Salomo ſacerdos, & magiſter Iudas Medicus filius Thebonis Hiſpani. quicumque verò legis addiſcendæ cauſſa è remotis regionibus veniunt, ab his excepti aluntur & docentur beneficio vniuerſitatis, quæ victum & veſtitum illis ſuppeditat, quãdiu in ſcholis verſari contingat. Sunt autem viri ſapientes & præceptorum obſeruatores, prompti ad ſubſidium afferendum cunctis fratribus ſuis tam remotis quàm proximis. eſt autem ibidem Iudæorum ſynagoga ferè trecẽtorum. diſtat verò à mari altero miliari.
פותייקיירש Illinc autẽ quatuor poſt leucas Pothiaquiers eſt magnum caſtrum, in quo quadraginta ferè Iudęi ſunt, & magnum conſiſtorium apud Abrahamum filium Dauidis felicis famæ, virum officioſum, & tũ in diſciplinalibus, tum etiam in ſacris libris apprimè doctum, quem è remotis locis legis addiſcendæ cauſſa complures adeunt; in ipſiuſq́ue domo humaniſſimè excepti docentur: & ſi quibus ſumptus faciẽdi copia deeſt, ipſe liberaliter in omnem

vſum

vſum ex ſua pecunia erogat; eſt enim valdè diues. ſunt præterea illic docti viri alij, vt Ioſeph filius Menahhem & Benbeneſeth & Beniamin & Abraham & Iſaac filius Moſis laudabilis memoriæ. Inde ad quartam leucam Nogheres oppidũ dictum Burgum Sancti Ægidij, vbi vniuerſitas eſt Iudæorum ferè נוגרש בורקרשל גיל centum ſapientum, quorũ anteſignani ſunt Iſaac Iacobi filius, & Abrahã filius Iudæ, & Eliezer & Iſaac, & Moſes, & Iacob filius magni magiſtri Leui optimæ memoriæ: diſtat hoc oppidũ tribus miliaribus à mari: ſitumq́. eſt iuxta flumen magnum cui nomen Rhodano, quod vniuerſam regionem eam, quæ רודי׳ Prouincia dicitur, præterfluit: ibidẽ verò præcipuè nobilis ac ſuſpiciendus eſt Abba filius Iſaac probandæ memoriæ præfectus à principe Domino. Inde poſt quatuor leucas Arelatum vrbem veni, vbi ferè ducenti Iſraëlitæ Arelatum. ſunt, inter quos pręcipui ſunt Moſes, Tobias, & Iſaias, & Selomoh, & Nathan magnificus, & magiſter Abba Meri celebris vir. Inde verò tribus itineribus Maſſiliam deductus ſum, vrbem eximiis & ſapientibus viris illuſtrem, duobus collegiis inſignem Iudæorum ferè trecentorum. ex collegiis alterum maris littori adiacet inferius, cui tamquam turris quædam imminet alterum in editiore loco ſitum: eſtque apud illos ma- Maſsilia.

gnum conſiſtorium diſcipulis ſapientum cultum, Simone filio Antolij, & eiuſdem fratre Iacobo & Lebaaro, qui primores in ſuperiori collegio habentur: in inferiore verò, Iaacob Pirpſienus diues, & Abraham, & Mair, huiuſque gener Iſaac, & alter Mair. Eſt autem vrbs hæc commerciis valdè celebris in maris littore; ex qua nauigio conſcenſo quatuor dierum nauigatione Genuam venitur, vrbem maritimam, in qua erant duo Iudęi fratres, Samuel filius Calaam, & frater huius ex Sephta Africæ vrbe, viri boni. eſt autem vrbs muris cincta, nulli regi ſubdita, ſed à magiſtratu gubernata, qui ciuium voluntate & ſuffragio conſtituitur. ſunt autem in ſingulis horum domibus ſingulæ turres conſtructæ; inter quos ſi aliquando diſſidium accidit, è turribus illis pugnatur. Sunt Genuenſes in mari potentes, vtunturque triremibus, quas galeras vocant; hiſque varia hoſtilia loca inuadentes expoliant, captaſque prædas domum aſportant. bellum autem cum Piſanis gerunt. Diſtant verò à Genua Piſæ duorũ dierum itinere, ingens vrbs, in cuius domibus ferè decem mille turres numerantur ad pugnandum aptæ & inſtructæ, ſi quando diſſidium aut pugnæ neceſſitas exiſtat. ciues ipſi omnes ſtrenui, neque regi neque principi alicui parẽtes, ſed magiſtratui ab ipſis creato.

Genua.

Piſa.

Erant

Erant autem hîc Iudæi ferè viginti, in quibus primi Moſes & Hhaiim & Ioſeph. vrbs ipſa muris non eſt munita; diſtatque à mari quatuor miliaribus, in quod nauigiis deſcenditur per fluuium qui regionem ipſam mediam perlabitur; vrbemque intrat. Inde quatuor poſt leucas Luca eſt magna vrbs, in qua Iudæos quadraginta ferè inueni; atque in his præcipuos Dauid, Samuel, & Iacob magiſtros doctos viros. Inde ſex dierum iter Romam vſque eſt, maximam olim vrbem gentiumque imperij caput. Ibique erant Iudæi ducenti ferè honeſti viri, nulli mortalium tributum pendentes; ex quibus aliqui Alexandri Papæ miniſtri ſunt Pontificis maximi totius religionis Chriſtianæ. erant autem ibidem doctiſſimi viri, in primiſq. Dauid Magnus, & Iehiel Papæ miniſter, iuuenis elegãs & prudens, frequens in domo ipſius, vtpote domus & vniuerſæ rei familiaris præfectus. Eſtque nepos Nathan auctoris libri & commentariorum Aaruch: ſunt etiam Ioab filius Magni Selomonis & Menahem ſynedrij caput, & Iehhiel habitans trans Tiberim, & Beniamin filius Sabthi bonæ memoriæ. Eſt autem bipertita vrbs ipſa Roma, quam Tiberis fluuius interfluit. In priori autem parte fanum maximum eſt, Romanum Capitoliũ dictum, apud quod magni Iulij Cæſaris domus

Luca.

Roma.

Alexander Pontifex maximus III. tempore Frederici Barbaroſſæ.

Auctor libri Aruch.

mus fuit. Sunt præterea ædificia maxima & opera admiranda vltra cetera quæ in toto terrarum orbe inueniri poſſunt. continet verò ſpatium vrbs ipſa, ſi cultam partem cum exciſa & inhabitata coniungas, milliaria quatuor & viginti. Suntq́ue in ea octoginta palatia Regum octoginta à Tarquini regno vſque ad regnum Pipini patris Caroli illius qui Hiſpaniam ab Iſmaëlitis occupatam initio expugnauit. Titi verò palatium extra Romam eſt; qui à trecentis ſenatoribus exceptus non fuit, eò quòd in Ieroſolymæ obſidione triennium conſumpſiſſet, vnum videlicet annum vltra præſcriptum. ibidemq́ue eſt pars ædis, palatij videlicet Veſpaſiani, maximæ & firmiſſimæ ſtructuræ. Eſt præterea palatium regis Malgalbini, trecenta ac ſexaginta palatiola cõtinens ex dierum anni numero; illiuſq́ue ambitus, quantum ex ruinis metiri licet, trium paſſuum millia continet. Fuit autem quondam in illo eodem palatio commiſſa pugna, in qua cecidere viri numero plures quàm centum mille; quorum oſſa ad hodiernum vſque diem in aceruum congeſta viſuntur. Inſculpſit autem Imperator pugnæ illius ſimulacrum in omnibus ædium lateribus marmoreo lapide, factionibus oppoſitis innumeris hominum, equorum & armorum, apparatuſq́ue bellici imaginibus, vt antiquo-

*Harum ruinarum plurima ſunt iam omnino vaſtatæ ad materiæ vſum in alia ædificia.*

מלגלבין *Non ſatis mihi conſtat quis hic dicatur Malgalbinus. Galbinũ fortaſſe aut Galienum dixit auctor; ſed vitio ſcriptorum corruptum eſſe nomen.*

antiquorum bellorum monumentum poſteritati mirandum relinqueret. eodem loco inuentus eſt ædificij ordo terræ ſolo inferior; in quo reperti ſunt Imperator, & illius vxor Auguſta in ſoliis compoſiti, & centum ferè alij homines imperij miniſtri, omnes arte medica concinnati, vſque in hodiernum diem.

Inuentæque ſunt in phano columnæ duæ æreæ, Salomonis regis opus, illa inſcriptione in vtraque inciſa Hebraicè, SALOMO FILIVS DAVID. Dictum eſt autem mihi à Iudæis Romæ agentibus ſingulis annis nona menſis Ab columnas illas ſudorem aquæ ſimilem ſtillare. Eſt etiam ibi crypta, in qua Titus ſanctuarij vaſa Ieroſolymis allata abſcōdiſſe dicitur. Eſt etiam crypta altera iuxta Tiberis fluuij ripam, in qua ſepulti ſunt decem iuſti occiſi regni (delendi cauſſa). Vidi etiam quodam in loco Samſonis ſimulacrū lapideum, globum in manu tenens, & Abſalonis filij Dauid, & Conſtantini illius magni, qui Conſtantinæ à ſe conſtructæ nomen Conſtantinopolis dedit. Statua equeſtris ibidem eſt ex ære inaurata. Sunt præterea ſtructuræ & opera alia, atque monumenta Romæ quæ nemo hominum enumerare poſſit. Roma profectus Capuam duorum dierum itinere veni, Capua.
magnam quōdam à Capi rege, vt ferunt, cōditá, pulchram vrbem, improbandis tamen

aquis, ideoque inſalubrem pueris maximè: in qua trecenti ferè Iudæi erant, & in iis ſapientiſſimi nonnulli & percelebres: præcipui verò erant Compaſſus & Samuel fratres; & Zaken magnus, & Dauid celebris vir, quē principem noſtrum alij appellant. Inde autem Puteolos Surrentum olim dictam magnam vrbem, quam Sinſan Hadar-Ghezer condidit, Dauidis regis metu fugatus; in eūque deuectus locum: inundatione verò maris populus illius duabus vrbis partibus obrutus demerſuſque eſt. hodieq. viſuntur turres & fora in aquis demerſa, quæ in media vrbe quondam fuerant. Eodem autem loco fons ſcaturit, in quo bitumen inuenitur, Petroleum vulgò dictum, quod ex aquis, quibus innatat, collectum ad medicinæ vſus reponitur. Sunt etiam illic thermæ natiuæ aquis medicatiſſimis, quæ à variis ægrotantibus ſalubri vſu petuntur; maximè verò à Longobardis, qui æſtiuo tempore remedij quærendi cauſſa eò veniunt. Illinc profectis quindecim miliarium via ſub montibus cōficitur; eſtque opus à Romulo Romanorum primo rege factum propter metum Dauidis regis Iſraël, & Ioab Dauidici exercitus ducis ſummi. idem etiam ſtruxit opus in montibus & ſub montibus, vbi nunc Neapolis eſt, illuſtris vrbs & munitiſſima ad mare ſita, à Græcis

Puteoli.

Surentum.

Petroleum.

Neapolis.

Græcis ædificata. illic habitant Iudæi quingenti ferè, in quibus præcipuè celebres ſunt, Ezechias, & Salum, & Elias ſacerdos, & Iſaac de monte Hor. Inde vnius diei itinere Salernum deuectus ſum, vrbem medicorum ſcholis illuſtrem; in qua Iudæi ferè ſexcenti erant, in his verò eruditione inſignes Iudas Iſaaci filius, & Melchiſedek magnus vir ex Sipõto vrbe, & Salomo ſacerdos, & Elias Græcus, & Abraham Narbonẽſis, & Thimon. Vrbs ipſa à continentis parte murorum opere munita eſt; altera parte maris littori adiacet, turrimque habet in montis cacumine firmiſſimam. Inde verò dimidij diei itinere Malfi eſt, in qua Iudæi viginti ferè erant, in hiſque præcipui Hhananeel medicus, & Eliſeus & Abuel magnificus. regionis illius incolæ omnes negotiis vacant & mercaturæ, ab agri ſerendi cura alieni, empta annona viuunt, eo quòd in montibus altiſſimis in ipſis rupium culminibus habitent: abundant tamen aliis fructibus, vinetis, oliuetis, hortis & pomœriis, omnibus aliis hominibus propter loci ſitum inexpugnabiles. Inde verò diei vnius itinere Beneuentum diſtat, magna vrbs, in maris littore partim, partim verò in monte ſita. ibique vniuerſitas eſt Iudæorum ferè ducentorum; horumque præcipui Colonymus & Zerah & Abraham celebres viri. illinc dierum

Salernum.

מלפי
Malfi.

Beneuentum.

rum duorum itinere in Malchi Apuliæ re-
מלכי Malchi. gione, ſic dicta à PVL, i. fabis; vbi Iudæi ferè
ducenti erant; quorum primores Ahhima-
ghats, & Nathan & Saddoq. Inde verò iti-
Æſculum. nere vnico Æſculum veni, vbi quadraginta
circiter Iudæos iñueni, in iiſque optimates
Contilum & Tſemahh generum eius & Io-
טרנאה ſephũ. Inde duobus itineribus Tarnaam in
maris littore ſitam, quò loci qui Ieroſoly-
mam religionis cauſſa petunt, congregari ſo-
lent vtpote in portum ad illam nauigationẽ
commodiſſimum. Erat autem ibidem vni-
uerſitas Iſraëlitarum circiter ducentorum,
atque in his præſtantiſſimi Elias & Nathan
concionator & Iacob. vrbs ipſa magna atque
מיקולש דבר elegãs eſt. Illinc vnius diei itinere eſt Miquo-
les deuar, quæ ciuitas magna à Gulielmo Si-
ciliæ rege diruta fuit. eſtq. non ſolùm Iſraë-
litis, ſed etiam propriis gentibus vacua, om-
ninoq. vaſtata. Inde Tarentum dimidio iti-
Tarentum. nere veni, quæ ditionis Calabriæ initium eſt,
à Græcis habitatæ; vrbem magnam, in qua
trecenti ferè Iudæi ſunt, nonnullique ex illis
docti, in primis Maali & Nathan & Iſraël.
ברנדיס Hinc vno itinere Barnedis in maris littore
Barnedis. ædificatam, vbi Iudæi decem ſunt infectores
lanarum. Vnde duobus itineribus Ornedo
Ornedo. diſtat, ad mare ſita, Græcorum regionis; ibiq.
quingenti circiter Iudæi ſunt, quorum præ-

cipui

cipui Menahem, Caleb, Mair, Maali. illinc naui conſcenſa duobus diebus Ocropon deuectus fui, vbi Iudæus vnicus erat Ioſeph nomine; atque hactenus Siciliæ regnum eſt. Illinc nauigatione duorum dierum in Lebtan oppidum, quod regni Emanuelis Græci initium eſt; ibiq́ue Iudæos circiter centum inueni, quorum capita Selahhias & Ercules ſunt. Inde duobus itineribus Achilon, vbi decem ferè Iudæi, quorum præcipuus eſt Sabthi. Hinc dimidio itinere in Natolicon in oſtio maris ſitam. Hinc Patran vno itinere per mare deueni, vrbem Antipatri Græcorũ regis vnius ex quatuor, inter quos Alexandri vita defuncti regnum eſt diuiſum: viſunturq́ue illic antiqua ædificia maxima. ibidem Iudæi quinquaginta ferè, in iiſq. primi Iſaac, Iacob, & Samuel. Inde per mare dimidio die in Lepantum veni, vbi Iudæi centum circiter iuxta mare habitant, quos anteeunt Gazarias, & Salum, & Abrahã. Inde ſeſqui diei itinere in Cores, vbi Iudæi habitant ducenti ferè, in monte Poras propria habentes prędia, quæ ipſi colunt: intuſq. primi ſunt Selomoh, Hhaiim, & Iedaia. Inde trium dierum itinere Corinthum veni; trecentoſque offendi Iudæos, quorum anteſignani ſunt Leo, Iacob, & Ezechias. Tertio inde itinere Thebas vrbem illam magnam, vbi bis mille Iudæi

Ocropos. Lebta Emanuelis regis Græcorum initium. Achilon. Natolicon. Patra. Antipater rex. Lepantum. Cores. Poras mons Corinthus. Thebæ.

ſunt artifices optimi purpuræ & coccini in Græciæ regionibus: apud quos doctiſſimi viri ſunt, peritiſſimique repetitionum & diſciplinarum, huius ætatis maximi, inter quos magnus ille magiſter Aaron Cutęus, & huius frater Moſes, & Hhaiah, et Elias Thirthinus, & Iectan; quibus nulli in omni Græcia pares ſunt, præterquam Conſtantinopoli. In-

Argyropũ. de itinere vnico Argyropum ad mare ſitam vrbem magnam, & magno ex omnibus regionibus mercatorum numero frequẽtatam: ſuntque illic Iudæi quaſi centum, præcipuiq. inter hos Elias Paſſeterius, & Emanuel, &

Iabuſteriſa. Caleb. Hinc iter vnum eſt ad Iabuſteriſam maritimam vrbem, in qua Iudæi centũ ferè, Ioſeph & Samuel & Nathania primariis. In-

Robinca. de Robinca vnico itinere diſtat; vbi Iudæi centum ferè, quibus præerant Ioſeph, Eliezer, & Iſaac. Illinc vnius diei itinere in Sinon

Sinon Potamos. Potamon, vbi Iudæi ferè quinquaginta; quorum præcipui Salomo & Iacob. Eſtque ini-

Balachia. tium Balachiæ: cuius. incolæ in montibus habitant, Balachi dicti, celeritate ceruis pares, qui è montibus deſcendentes prædas agunt, & ſpolia à Græcis auferunt, à nemine hactenus expugnati, propter locorum & mõtium in quibus habitant, inacceſſibilem, ipſiſque tantùm peruiam & notam aſperitatẽ. Neque verò hi Chriſtiani ſunt, neque Iudæi, quam-

quamquam multi apud eos Iudaicis nominibus appellentur; iactentq́. ſe Iudæos aliquando fuiſſe, & Iudæos fratres ſuos appellent, quos cùm offenderint, exſpoliare quidẽ, non tamen occidere, vt Græcos ſolent: denique nullam apud hos obſeruaui religionis formã. Illinc duobus itineribus in Gardeghin me contuli, exciſam & vaſtatam vrbẽ, paucoſq́ue retinentem habitatores Græcos & Iudæos. Hinc in Armilon duorum dierum iter eſt, magnam vrbem ad mare ſitam, Venetis, Piſanis, & Genuenſibus, aliiſq́. gentibus commune emporium, lato ſpatioſoque agro: in qua Iudæos circiter quadringentos inueni; horumq́ue primarios Siloh, & Ioſeph gubernatorem, & Salomo præcipuum. Ex hac vrbe Biſſinam vſque integrum iter eſt, in qua Iudæi ferè centum, primaſq́ue in his tenent Sabthai magnus, & Selomoh, & Iaacob. Hinc per mare duobus diebus Seleucãm appuli, à Seleuco conditam, vno ex quatuor illis regibus, qui poſt Alexandrum ſurrexerunt: vrbs ipſa valde magna eſt, in qua quingenti circiter Iudæi ſunt: primuſq́ue horum Semuel genti ſuæ à rege ciuitatis præpoſitus cũ filiis ſuis ſapientum diſcipulis, & Sabthai genero eiuſdem, & Elias, & Michael. ſtudent autem Iudæi illi artibus manuariis, quibus viuunt. Duobus illinc diebus Mitricin venitur,

Gardeghin. Armilon. Biſsina. Seleuca. Mitricin.

tur, vbi Iudæi ferè viginti: apud quos primi
Darma. ſunt Iſaias, Machir, & Eliab. Inde in Dar-
man duo itinera conficiuntur, in qua Iudæi
ſunt circiter centum & quadraginta; hoſque
anteeunt Michael & Ioſeph. Ab hac vrbe v-
Canisthol. אבירו nico itinere diſtat Caniſthol, vbi Iudęi viginti
Alias Habiron. ferè ſunt. Illinc tribus diebus iter fit ad * Aa-
bidon, in littore ſitam. & quinque itineribus
Cōſtantina. inter montes confectis Conſtantinam perue-
ni, maximam vrbem, caputque regni Iauan,
Iauan, Græci. quos Græcos vocant, Emanuelis Imperato-
ris regiam, cuius imperio duodecim reges
parent: quorum ſingulis ſingula palatia Cō-
ſtantinopoli ſunt; & turres & regiones; hiſq.
tota terra ſubeſt. Primo ac præcipuo nomen
eſt Aphrippos magnus, ſecūdo Miga Dema-
ſtocos, tertio Rominos, quarto Makdocos,
quinto Alchaſom Magli: ceteri nomina his
Conſtantinopolis. ſimilia habent. Conſtantinopolis vrbis ambi-
tus miliaria octodecim continet, cuius media
pars ſuper mare, altera verò dimidia in conti-
nēte ſiue arida eſt: ſitaque eſt ſuper duo bra-
chia maris ſiue fluminum maxima oſtia, in
quorum alterum ex Ruſſia, in alterum verò
ex Hiſpania vſque aquæ confluunt. Eſtque
frequens negotiatoribus multis ex prouinciis
ac regionibus Babylonis, Senaar, Mediæ, Per-
ſiæ, omnibuſque regnis terræ Ægypti, & Ca-
פטיינקי naan, & regnis Ruſſiæ, Vngariæ, & Pſianki,
& Buriæ,

& Buriæ, & Longobardiæ, & Hiſpaniæ. Ciuitas ipſa cõmunis & promiſcua eſt, ad quam maritimo ac terreſtri itinere ex omnibus regionibus mercatores confluunt: nullam in orbe parem habet, præter Bagdir maximam illam Iſmaëlitarum vrbem. Hîc celeberrimum templum Sanctæ Sophiæ eſt. Græcorum autem Patriarcha hîc habitat. Neque enim hi Romani Papæ doctrinæ correſpondent. Alia etiam templa ſunt totidem numero quot anni dies. Sed illud maximum theſaurũ habet omni ęſtimatione ferè maiorem ex donariis ac diuitiis per ſingulos annos allatis ex variis regionibus, inſulis, caſtellis, caſtris, & locis, adeò vt nullum totius orbis terrarum templum cum huius diuitiis comparari poſſit. In medio autem templo columnæ ſunt aureæ & argenteæ; candelabra maxima, & laternæ, lampades, & alia ornamenta ex auro atque argento plura quàm dinumerare quiſpiam poſſit. Bagdir.

Templi muris proximus locus eſt ad regios ludos conſtructus, Hippodromus dictus, vbi quotannis per Ieſu Nazareni natalitium diem eduntur magna ſpectacula; oſtenduntur que ibidem omnes formæ hominum orbis totius omnibus habituum generibus coram Rege & Regina. producuntur etiam in ſpectaculum leones, vrſi, pardi, Hippodromus

aſinique

aſiniq́ue ſilueſtres, qui pugnam inter ſe cõmittant: & aues quoq. in eundem modum: neque exiſtimo in vlla orbis regione huiuſmodi magnificos ludos ſpectari. At verò Emanuel rex præter illud, quod à maioribus habuerat palatium, alterum ſibi ipſe conſtruxit ad littus maris, quod Bilbernas vocauit: cuius columnas & muros auro & argento cõflato obduxit; in quo bella omnia à ſe maioribuſq́ue ſuis geſta inſculpſit. Solium autem ibidem ſibi parauit ex auro & gemmis: idq́ue aurea corona ornauit supernè pendenti ex aureis catenis; cuius ambitus ſolio ipſi æqualis eſt, margaritis & vnionibus diſtincta, quarum pretium homo nemo æſtimare queat, tanto ſplendore, vt nulla admota lampade noctu videantur & luceant. Sunt præterea res aliæ eodem loco innumerabiles, narratuq́ue incredibiles; deferunturq́. in illud palatium quotannis tributa, quibus turres implentur coccinea purpureaq́ue veſte & auro; ita vt nullibi terrarum par ſtructuræ atque diuitiarum exemplum inueniri poſſit. Affirmatur autem ipſius ſolius ciuitatis vectigal ex foris, portu ac mercatorum tributo collectum, ad viginti millia aureorum in ſingulos dies accedere. Porrò Græci ipſi regionis incolæ auro & gemmis ditiſſimi ſunt, cultuq́ue incedunt ſumptuoſiſſimo, veſtibus ex cremeſino

Bilbernæ Imperatoris Emanuelis palatium.

meſino confectis, intextis auro, aut acupictis, equiſque vehuntur regum filiis omnes perſimiles. Regio ipſa ampliſſima, omnium fructuum generibus abundat, frumenti etiam, carnium & vini copiam habet magnam; neque ſimiles his diuitias in terrarum orbe inuenire eſt. ſunt etiam docti, ac Græcarum diſciplinarum periti, genioque indulgentes; comedunt & bibunt vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficulnea ſua: conducuntque ex omnibus gentium linguis, quas illi Barbaras vocant, milites ad pugnandum cum Soldano rege filiorũ Thogarma, qui Turcæ vulgò dicuntur, eo quòd ipſi propter otium ac delicias imbelles & ad prælia ignaui redditi ſint; viſique mihi fuerint mulieribus perſimiles impotentia quadam deliciarum. Nulli autem Iudæi intra vrbem habitant; excluſi enim ab illis ſunt brachio aquarum, atque inter illud & Sophiæ maris brachium aliud concluſi; neque in vrbem venire permittuntur niſi nauigio, idq. negotiorum & commercij cauſſa. ſuntque Iudæi circiter bis mille, qui cum magiſtris congregantur, hoc eſt ſapiẽtum diſcipulis, inter quos primas obtinent Abtalion magnus, & Abdias, & Aaron Cuſpus, & Ioſeph Sarginus, & Eliakim gubernator: ex illis quidam artifices ſunt veſtium ſericarum; quamplurimi

Soldanus Thogarmæ Turcæ.

plurimi verò mercatores ſunt, iique ditiſſimi. Nulli autem Iudæo illic equo vehi licet, præter Selomonem Ægyptium medicũ regium, cuius officio Iudæi recreantur; ſuamque captiuitatem ſolantur, quam grauem ſentiunt. oppidò enim inuiſi ſunt Græcis Iudæi omnes nullo bonorum ac malorum diſcrimine; propter coriarios; qui dum pelles conficiunt, impuram aquam in plateas ante ſuas ipſorum portas effundunt: ideoque omnes graui iugo pariter premuntur, atq. in plateis vapulant, & coguntur violenter inſeruire. Verùm Iudæi ipſi diuites, vti dixi, ſunt, virique boni, ac miſericordes, præceptorumque obſeruatores: qui captiuitatis miſeriam æquo ferunt animo. locus in quo habitant Pera dicitur.

Pera.

Inde duorum dierum nauigatione in Doroſton veni, vbi Iſraëlitarum vniuerſitas eſt circiter quadringentorum, quorum primi Moſes & Abias & Iaacob. Illinc Galipolin duobus itineribus, vbi Iudęi ducẽti ferè ſunt; horumque præcipui Elias Caphid, & Sabthai Zutra, & Iſaac Migas: ſignificat autem Migas Turrim ea lingua, quæ nunc Græcis materna eſt. Hinc duobus itineribus Calas diſtat, vbi Iudæi quinquaginta ferè erant; in hiſque præcipui Iudas & Iacob, & Semaias magiſtri. Inde duorum dierum itinere in

Doroſton.

גאליפולי
Galipolis.

Calas.

Mitylen

Mitylen vnam ex maris inſulis delatus, vniuerſitates Iſraëlitarum in locis decem inueni. Illinc tribus peractis itineribus Hichan veni, in qua Iudæi quadringenti ferè erant, quorum capita ſunt Elias & Thiman, & Sabthai: ibiq́ue ſunt plantæ ex quibus maſtyx colligitur. Hinc verò poſt duo itinera Iſmos eſt, in qua trecenti ferè Iudæi habitant: quos Semarias, Ghobadias, & Ioel anteeunt. conueniuntq́ue eò congregationes Iſraëlitarum complures. Illinc per mare trium dierum itinere Rhodum appuli, vbi Iudæos quadringentos ferè inueni: horumq́ue anteſignanos Aba & Hananeel & Eliam magiſtros. Inde quatuor dierum itinere Dophros diſtat, vbi cœtus Iudęorum vnà cum magiſtris eſt. Sunt præterea ibidem Iudæi quidam hæretici Cyprij, Epicurei, quos Iſraëlitæ vbique deteſtátur. At hi profanant Sabbathi veſperum, & obſeruant veſperum primi diei.

Mityle. Hicha. maſtix. Iſmos. Rhodus. Dophros.

Inde duorum itinerum ſpatio Corkos diſtat, quæ Edom terræ initium eſt, eius quæ Armenia vocatur. Eſtq́ue initium principatus Turi domini montium regis Armeniæ, cuius ditio vſque ad Hhadochian metropolin pertinet; & ad regionem vſque filiorum Thogarma, quos Turcas vocant. Inde verò duobus itineribus Malmiſtras diſtat, quæ Tharſis olim dicta eſt, ad mare ſita. Atque ha-

Corcos terræ Edom initium. Armeniæ ditio. Malmiſtras olim Tharſis dicta.

ctenus filiorum Iauan regnum eſt, qui Græci appellantur. Inde duorum dierum itinere

Antiochia in valle Iaboq.

Antiochia magna eſt ſecundum fluuium Pir in valle Iaboq ſita, qui ex Libano regionis Emath monte defluit. Hanc vrbẽ Antiochus rex ædificauit, cui altiſſimus mons imminet muro vrbis etiam ambitus. In montis autem vertice fons eſt, cui homo quidam eſt præfectus: is per cauas trabes aquam ſubterraneis conductibus in magnatum vrbanas domos immiſſam diſtribuit. Ex altero autem latere è regione montis vrbs fluuij alueo ambitur. Eſtque munitiſſima vrbs ditionis diſſidentium à fide noſtra.

Sunt verò illic aliquot numero Iſraëlitæ artifices vitri, quorum præcipui ſunt Mardochæus & Hhaim & Iſmael magiſtri. Hinc

Liga quondam Laodicea.

duorum dierum itinere Ligam me contuli, quondam Laodiceam dictam, in qua ducenti ferè Iudæi ſunt, primique omnium Hhaia & Ioſeph. Inde duobus diebus in Gebal, eadem Baghalgad ſub Libano monte: eſtque

Gebal. Baghalgad.

proxima nationi illi quam appellant HHASSISSIN, qui non ſequuntur doctrinã Iſmae-

אלחשישין

litarum, ſed cuiuſdam, quem Prophetam eſſe exiſtimant: cuius dicto omnes parent ſiue in mortem, ſiue in vitam. Hunc autem

חיך אלחשישין

vocant Hheich al Hhaſſiſſin: eſtque ſenator ipſorum, cuius imperio ingrediuntur & egrediuntur

diuntur viri omnes montani. Eſt illius ſedes
in Karmos dicta vrbe, quæ initium regionis Karmoza.
quondam Sehon fuit: habent autẽ religionẽ
inter ſe iuxta doctrinam ſenatoris ſui. Sunt-
q́ue in omni loco terrori omnibus; eo quòd
reges etiam ipſos ſerra occidant. Horumq́ue
ditio ad itinera octo extenditur. Gerunt au-
tem bellum cum Chriſtianis iis qui Franci Franci.
vulgò dicuntur, cumq́ue rege Tripolis, quæ Tripolis.
eadem Trabelos regionis Saam. Accidit au-
tem non multis antè diebus vt Tripolis re-
gione terræ tremore concuſſa multi tum ex
gentibus, tum ex Iudæis obruti fuerint, &
domorum atque murorum ruinis inuoluti,
eodemq́ue tempore perierint etiam in omni
terra Iſraël vltra viginti millia hominum.
Hinc vno itinere Gebal diſtat, altera illa quæ Gebal.
filiorum Amon terminus fuit; vbi Iudæi cẽ-
tum ac viginti ferè ſunt. Eſtq́ue ditionis Gi- ג׳ינוטין Ginotin.
notinorum, quorum princeps Gilianus En-
birenu vocatur: repertuſq́ue eſt illic locus
templi antiqui filiorum Amon; in eoque ido-
lum filiorum Amon, ſellæ, quæ ſolium dici-
tur, inſidens ſimulacrum autem ex lapide
eſt, auro obductum; vtrinque autem duo fe-
minea ſimulacra, etiam ſedentia: ante ipſum
verò ara, in qua Amonitarum tempore ſacri-
ficia & ſuffitus fiebant. Iudęorum autem qui
hîc habitant, primi ac præcipui ſunt Mair,

 Iaacob,

Iaacob, Semha. Eſtque ciuitas iuxta littus maris, quod in Iſraëlitarum regione eſt. Illinc duobus itineribus Beritum veni, Beeroth quondam dictam, vbi Iudæi quinquaginta ferè ſunt, Salomone, & Ghobadia, & Ioſepho anteſignanis. Hinc vnius diei confecto itinere in Siiadam, quæ Sidon olim, vrbem magnam, vbi Iudæi viginti erant: vnde miliaribus ferè decem, gens quædam eſt quæ cum Sidoniis bellum gerit, genti nomen ipſorum lingua Dogziin, aliis dicti Pagani, nullius religionis aut ſectæ, habitant in montibus, in rupium antris & ſpecubus, nulli Regi vel principi parentes; ſed temerè viuentes inter montes altiſſimos & editiſſimas rupes degunt. itinerum trium protracto ſpatio vſque ad montem Hermon. ſuntque inceſtibus infames; matrimonia enim patres cum filiabus ineunt. feſto autem annuo, quod ſollenne habent, tam viri quàm feminæ, omnes ad commune conuiuium conueniunt, ibique vxores inuicem permutant: Aiuntque hi animam, vbi ex boni hominis corpore diſcedere contigerit, in infantis eadem ipſa hora geniti corpus migrare. ex mali verò hominis corpore diſcedentem in canis migrare corpus, aut in aliam belluam. Atque ita ſapiunt, ſcilicet vt viuunt. Nulli autem apud hos Iudæi ſunt, ſed nonnumquam artifices & infectores

Beritus. Beeroth.

Sidon.

Dogziin.

Hermon mons.

Palingeneſia

ctores

ctores veſtium ad hos veniunt artis vel mercaturæ exercendæ cauſſa; ruſuſque abeunt, humaneque ab his & amanter excipiuntur Iudæi. Porrò natio hæc velociſſima eſt, montibus & collibus percurrendis aptiſſima; à ceteriſque mortalibus inexpugnabilis. Ex Sidone autem itinere vnico diſtat Tyrus noua, elegans vrbs, commodiſſimo portu inſtructa, quem intra ſe continet, admittitque naues inter duas turres vtrinque conſtructas: ita vt ærea catena à publicanis portorium adminiſtrantibus ex altera in alteram turrim extenta, omnis exitus & aditus nauibus per noctē præcludatur, nulluſque poſſit aliquid è nauibus ablatum aſportare. Neque exiſtimo vllum portum huic ſimilem in orbe terrarum inueniri. Vrbs ipſa, vti dixi, pulchra eſt; in eaque ſunt circiter quadringenti Iudæi, inter quos aliqui diſciplinalium lectionum periti admodum, imprimiſq. Ephraim Ægyptius iudex, & Mair ex Carchaſona; & Abraham vniuerſitatis caput. Ex Iudęis ibidem agentibus aliqui naues in mari habēt quæſtus cauſſa. Sunt illic vitrarij artifices qui vitrum conficiunt Tyrium dictum, præſtantiſſimum, & maximæ in omnibus regionibus æſtimationis. Inuenitur etiam ibidē ſaccharum optimum & probatiſſimum. Conſcendentibus Tyri nouæ muros, antiqua Tyrus conſpici-

Tyrus noua.

Vitrum Tyrium.

Saccharum.

Tyri antiquæ ruinæ.

tur mari olim obruta & obducta, diſtans à noua lapidis funda emiſſi iactu. quòd ſi quis ſcapha aut lintre mare ingredi velit, turres, fora & plateas, & palatia in fundo deſpicit. Eſt autem noua Tyrus mercatu publico, ad quem vndique conuenitur, celebris.

Akadi. Ghaco. Aſſer. Iſraelis terra

Inde vnico itinere in Akadin veni, quæ Ghaco olim fuit. Aſſer tribus terminus Iſraëlitidiſque regionis initium, ad mare magnũ ſita, inſignis portu, quo Christiani omnes Ieroſolymam nauigiis petentes excipiuntur, in quem fluuius vrbem ipſam præterlapſus influit, fluuius Cadumim dictus. Suntque illic Iudæi ducenti ferè, in hiſque præcipui Sadok & Iapheth & Iona. Inde leucis tribus in Niphas, quæ eadem eſt Gad operta, maris littori adiacens, cui ex latere vno Carmel mons imminet. ad montiſque radices Iſraëlitarum quamplurimorum ſepulcra ſunt; inque ipſo monte Eliæ prophetæ antrum viſitur, iuxta quod Chriſtiani ſacellum conſtruxerunt, Sancti Eliæ dictum. In ſummo verò mõtis dorſo veſtigium exſtat altaris diruti & combuſti in diebus Achab, cuius in Eliæ hiſtoria illuſtris fit mentio. Eſtque aræ illius locus circularis quatuor ferè cubitorum diametro; ſub monte ipſo ad latus Chiſon flumen deſcendit. Illinc leucis quatuor Caphar-Nahhum diſtat, antiquum retinens nomen;

Fluuius Cadumim. Niphas. Gad. Carmel. Elias. Achab. Chiſon flumen. Caphar-Nahhum.

men, locus editiſſimus, qui Carmelũ proſpectu ſuperat. Inde autẽ ſex leucis peractis Cæſareã deueni, quã incolæ Siſeriã vocant; nomẽ illi antiquũ Gad Palæſtinorum; in qua erant decem Iudæi, atque ducenti Cuthæi, hoc eſt Iudæi Samaritæ, quos Samaritanos vulgò dicunt. Eſt autem pulcherrima vrbs, & optima, ad mare ſita, ab imperatore Cæſare inſtaurata & amplificata, deq́ue ſuo nomine Cæſarea dicta. Vnde profectus dimidio itinere Cacõ veni, quę Ceila ſiue Keghila quõdam fuit, in qua nulli Iudæi ſunt. Hinc rurſum dimidio itinere in Sargoreg, quæ Luz ab antiquis vocata eſt; vbi Iudæus vnus tantùm eſt, iſq́ue lanarum infector. Illinc vnius diei confecta via Sebaſten acceſſi, quæ eadem Samaria eſt, in qua Achab regis Iſraël palatium adhuc internoſcitur. Fuit verò munitiſſima vrbs in monte ſita, amœna fontibus & riuis aquarum, & hortis, pomœriis, vinetis & oliuetis: nullumq́ue Iudæum habitantem habet. ab hac duabus leucis Nebilas diſtat, Sichem olim dicta, in monte Ephraim; vbi nulli Iudæi ſunt: iacetq́ue vrbs in profunda valle inter Gerizim & Ebal ſiue Hebal montes, in qua Cuthæi circiter centum ſunt, ſolius Moſaicæ legis tantùm obſeruatores (hos, vti dixi, Samaritanos appellant.) habent verò ſacerdotes ex poſteritate Aharon ſacerdotis

Cæſarea. Siſeria. Gad. Cuthæi. Samaritani. Cæſar. Cacos. Ceila Keghila. Sargoreg. Luz. Sebaſte. Samaria. Nebilas. Sichem. Ephraim. Ebal.

in pace quieſcentis; qui cum nullis aliis connubia iungunt, niſi cum familiæ ſuæ feminis aut viris, vt genus impermixtum conſeruent: appellanturq́ne vulgò ibidem Aharonitæ: verumtamen ſunt miniſtri & ſacerdotes legis illorum Samaritanorum. Faciunt autem ſacrificia, & incendunt holocauſta in Synagoga quam habent in monte Garizim, citátes illud quod ſcriptum eſt in lege: Et dabis benedictionem ſuper montē Garizim. aiunt verò ipſi illam eſſe veram Domū ſanctuarij: indunt autem holocauſtum in die phaſe & aliis feſtis diebus ſuper aram conſtructam in monte Garizim ex lapidibus per filios Iſraëlis ex Iordane ſublatis. Iactant verò ſeſe ex Ephraim tribu eſſe. Apud hos eſt ſepulcrum Ioſeph iuſti filij Iacob patris noſtri in pace quieſcentis, quemadmodum dictum eſt. Et oſſa Ioſeph quæ à filiis Iſraël ex Ægypto aſportata in Sichem ſunt condita. Carent autē hi tribus litteris ע ח ה HE ex nomine Abrahā; Hheth, ex nomine Iishhac; Ghain, ex nomine Iaghacob. quarum loco Aleph, hoc eſt ſpiritum tenuem ſubſtituunt: Hoc ſigno manifeſto arguuntur non eſſe ex Iſraëlis poſteritate ac ſemine, cùm agnoſcant legem Moſis his tribus litteris exceptis, quas ignorant. Obſeruant autē ſe à contaminatione mortui, & oſſiū, & occiſorum, & ſepulcri. moris etiam

Aharonitæ.

Sepulcrum Ioſeph.

hiſ eſt veſtes, quibus quotidiè vtuntur, exuere cùm in Synagogam eundum ſit, & lauare aquis corpus, aliaſque veſtes induere in hunc dumtaxat vſum comparatas. Eſtque hic quotidianus ritus. Eſt autem Garizim mons fontibus & hortis amœnus: contrà verò Ghebal aridus, ſaxis & lapidibus plenus, atque inter vtrumque, vti diximus, vrbs ipſa Sichem ſita eſt. Illinc leucis quatuor Gilboagh mons eſt, quem Christiani Gilboe montem vocant, ſolo ſterilissimo & aridiſſimo. Vnde quatuor poſt leucas vallis Aialon aditur, quam regionis incolæ Chriſtiani *Val de luna* appellant; à qua vnius leucæ dimenſo ſpatio in Moriam montem veni ad Garaan Dauid dictum oppidum, vrbem quondam magnam Gibghon ſiue Gabaon dictam, vbi nulli Iudæi ſunt. Inde tribus leucis confectis, Ieroſolymam ingreſſus fui, paruam vrbem, tribus muris munitam, in qua multa hominum genera ſunt, Iacobitæ, Armeni, Græci, & Gorgeri, ſiue Georgij, & Franci, ex omnibus linguis gentium. Eſt autem illic domus inficiendis lanis & veſtibus comparata, quam Iudæi ſingulis annis à rege conducunt eo pacto, vt ipſi ſolummodo eam artẽ exercere poſſint. Suntque Iudæi habitantes in angulo ciuitatis ſub Turre Dauid, in qua turri ſuperſunt adhuc ex antiquo ædificio muri à maioribus noſtris

Garizim mons. Ghebal mons.

Gilboagh. Gilboe.

Aialon vallis. Vallis lunæ. Moria

Garaan Dauid.

Gibghon.

Gabaon.

Ieruſalem.

Iacobitæ, Armeni, Græci, Georgij & Franci Ieruſalem incolentes.

conſtructi ad altitudinem cubitorum decem ferè ab ipſo fundamento. His verò quod ſupereſt, Iſmaëlitarum eſt ædificatio. Nullum verò in tota vrbe ædificium illi turri Dauidis firmitudine par eſt. Sunt autem illic duæ domus hoſpitales nuncupatæ, quarum habitatores Chriſtiani hoſpitalarij vocantur: equiteſq́. ſunt; ex quorum collegiis duobus quadringenti ferè prodeũt ad pugnam inſtructi: in illiſque domibus ægroti omnes eò ſeſe conferentes excipiuntur & curantur, omni neceſſariarum rerum tam viuis ęgrotantibus & conualeſcentibus ad vitam, quàm mortuis ad funus copia abundè ſuppeditata. Appellatur autem ſecunda illa domus Hoſpitalis Salomonis. eſt enim in loco palatij à Salomone quondam conſtructi. Prodeunt itaque quotidie ex illis quadringenti ad pugnam; hiq́ue omnes collegæ ſunt iurati & voto adſtricti, præter alios cõplures, qui ex terra Francorum & Italorũ eò cõueniunt: ſpõte ſuſcepto voto, quod vno aut altero anno ibidẽ commorati abſoluunt. Eſt præterea illic maximũ templũ quod ſepulcrũ appellant, Ieſu Nazareni ſepulcrũ, cuius viſendi cauſſa peregrini conueniunt. Habet Ieroſolyma portas quatuor, vni nomen Somnus Abrahæ, alteri porta Dauid, porta Sion tertiæ, quartæ Iehoſaphat porta. Hæc verò eſt ante domũ ſanctam, quę quondam

Hoſpitalis Salomonis.

Sepulcrum Ieſu.

שנת אברם ſiue porta Abraham.

dam ſtabat, in qua nũc eſt fanũ, Templũ Domini dictũ, in ipſo ſanctuarij antiqui loco ſitũ: ipſum verò templũ Domini nũc dictum, maxima quædam & pulcherrima fornix eſt à Ghemar Bẽ Alchetab exſtructa, à Chriſtianis nũc celebrata, qui eo loco nullã imaginẽ aut ſimulacrũ habẽt, ſed tantũ preces fundendi cauſſa illud frequentant. E regione verò loci huius paries eſt cõſtructus vnus ex parietibus qui fuerãt in ſanctuario, quẽ nunc Miſericordiæ portã vocant: atq. ad hanc portã accedũt Iudæi precaturi ante parietẽ in atrio. Ibidem etiã Ieroſolymis inquã, in domo quæ fuit Salomonis, viſuntur præſepia equorũ à Salomone cõſtructa, ædificiũ firmiſſimũ, lapidibuſq́. cõſtans maximis. cuiuſmodi fabricæ nullũ in tota terra viſitur exẽplum. Exſtat etiã hactenus piſcina illa in qua antiqui victimas mactabant: atq. Iudæi ſinguli ſuũ nomen illic in muro ſcribũt. A porta Ioſaphat prodeuntibus in deſertũ populorum dictũ itur, in quo monumẽtũ manus Abſalonis eſt, & ſepulcrũ Vziæ regis, & fons magnus aquarũ Siloahh in torrentẽ Kedron defluentiũ: & iuxta fontẽ magnũ ædificiũ à maiorũ noſtrorũ diebus. in fonte verò exigua aquæ copia inuenitur: maxima autẽ hominũ Ieroſolymis degentium pars aquã pluuiã ciſternis priuatis collectam bibit. Ex valle autẽ Ioſaphat in montem Oliuarum

Templum Domini.

עמר בן אלכטאב Ghemar Ben Alchetab.

Porta miſericordiæ.

Manus Abſalonis.

Sepulcrum Vſiæ regis.

Fõs Siloahh

Mons Oliuarum.

uarum

uarũ continuò aſcẽditur. nihil enim inter vrbẽ & montẽ illũ præter hanc vallẽ interiacet. Ex mõte autẽ ipſo Sodomiticũ mare cõſpicitur: à mari verò illo ad cumulũ ſalis, in quem Loti vxor cõuerſa eſt, duæ leucæ ſunt. Cõſtat enim adhuc cumulus ille qui à gregibus aliquando lambendo imminutus denuò ad priſtinam creſcit molem: proſpicitur etiam ex Oliuarum monte regio omnis plana illa, quã interfluit fluuius Sitim vſq. ad montem Nebo. E regione Ieroſolymæ huius nouæ mons Sion eſt, in quo nullum integrum ædificium viſitur, præter templum vnum Chriſtianorum. Ante Hieruſalem etiam viſuntur tres veluti ſepulcrales domus, in quibus Iſraëlitæ quondam ſepeliebantur; & ſepulcrorum forma adhuc decens & conſpicua eſt, ſed imminuitur indies Chriſtianis lapides eruentibus ad priuatas domorum ſtructuras. Ambitur verò Ieroſolymæ tractus ille magnis mõtibus. Sunt verò in Sion monte Dauidicæ familiæ ſepulcra, & regum eorum qui poſt Dauid ſurrexerunt, ſed locus ipſe ignotus vulgò eſt. Accidit enim ante annos quindecim, vt murus vnus templi, quod in Sion monte eſſe dixi, corruerit, quem Patriarchæ iuſſu templi ſacerdos cùm inſtaurare conſtituiſſet, lapides ex antiquis montis Sion murorum fundamẽtis ad templi inſtaurationem eruendos operis numero

Mare Sodomiticum.
Statua ſalis in quam verſa eſt vxor Lot.
Sitim fluuius.
Nebo mõs.
Mons Sion.

numero circiter viginti locauit. in hiſque erant duo homines fœderis compotes, amici, ex quibus alter alterum die quadam manè in conuiuium priuatum domum ſecum duxit, atque poſt ientaculum vnà ſumptũ dum ad opus veniſſent, rogati à præpoſito operis cur tam ſerò accederent, reſponderunt ſe horam illam compenſaturos continuato labore. interea dum alij omnes pranſum abirent; idque dum præſtarent quod polliciti fuerant, lapide quodam ſublato antri oſtium inuenientes dixerunt ad inuicem: Subeamus conſpecturi an theſaurus hic lateat aliquis. igitur ingreſſi tamdiu proceſſere quoad accederẽt ad quoddam palatium marmoreis columnis innixum, auro & argento obductum, ante quod menſa erat, in eaque ſceptrum & corona aurea: atque hoc erat ſepulcrum Dauid regis Iſraël, ad cuius ſiniſtram Salomonis ſimili ornatu ſepulcrũ, & alia multa aliorum ex Dauidis familia regum Iuda, qui ibidem conditi fuerant. erantque illic arcæ concluſę; quid verò continerent, adhuc hominibus ignotum eſt. Cùm verò homines illi in palatium penetrare cõſtituiſſent, turbinis ſpiritu percuſſi, ex antri oſtio in terram exanimati deciderunt. iacuerunt autem eodem loco vſque ad veſperam: cùm ſpiritu alio rurſus excitati, humanæ voci ſimilem audierunt:

Sepulcra Dauid & Salomonis vbi.

Surgite,

Surgite, exite ex hoc loco. Illi verò impulſi, atque pauore correpti maximo, trementes exierunt, remq́. omnem ad Patriarcham retulere, quam ille Abrahamo cognomento Pio dicto, Phariſæo Conſtantinopolitano, Hieroſolymis degenti, ad ſe vocato, per eoſdē duos homines exponendā curauit; qui rogatus quid ſentiret, dixit locū illum eſſe ſepulcrorum domus Dauid deſtinatorum regibus Iuda. Poſtera autem die vterque ex illis hominibus in lecto cubans, & graui præ metu infirmitate laborans domi repertus eſt, qui nullis conditionibus illuc amplius ſe ingreſſuros eſſe dixerunt, affirmantes nefas eſſe vlli homini eò quò Deus vetaret, ire velle. Quamobrem Patriarcha iubente locus occluſus eſt, & opere ab oculis hominum celatus ad hodiernum vſque diem. rem autem hanc omnem ipſe Abraham Pius, quem dixi, mihi narrauit.

Bethlehem. Inde duabus paraſangis Bethlehem Iudæ diſtat, cui dimidij ferè miliaris ſpatio Rachelis ſepulcrum proximum eſt in biuio: eſtque tumulus conſtructus lapidibus duodecim iuxta numerum filiorum Iacob; ſupraque tumulum eſt teſtudo quatuor columnis innixa. Tumulus Rachel Porrò tumuli lapides Iudæorum illac prætereuntium nominibus multis & variis inciſi ſunt. Sunt verò in Bethlehē Iudæi duodecim

decim lanarum infectores. ager oppidi aquarum riuos, & puteos, & fontes habet.

Hinc leucis ſex confectis Hebron veni in plano ſitam: nā Hebron antiqua metropolis in monte fuit, ſed nunc deſerta eſt. in valle verò ager eſt in quo eſt duplicitas, hoc eſt gemina velut vallicula, ibiq́ue ſita eſt vrbs, ibidemq́. templum ingens, quod Sancti Abraham vocatur. fuerat autem locus ille Iudæorum ſynagoga, quo tempore ab Iſmaëlitis regio occupabatur. Gentes verò, à quibus poſtea obtenta eſt, ſepulcra ſex in templo conſtruxere nominibus Abrahæ, Saræ, Iſaac & Rebeccæ, Iaacob & Liç. Dicunt autem nunc incolæ peregrinis, illa eſſe patriarcharū monumenta: offerunturq́. illic pecuniæ. Verùm enimuero Iudæo cuipiā accedēti, & mercedē ianitoribus porrigēti, ſpelunca oſtēditur porta ferrea patefacta, quç à diebus antiquis illic adhuc manet. Deſcenditq́. homo inferius lāpade accēſa in primā ſpeluncā, in qua nihil inuenitur, neq. etiā in ſecūda, donec tertia ſubeatur, in qua ſex monumēta ſunt Abraham, Iſaac & Iaacob, Saræ, & Rebeccæ, atq. Liæ; alterū è regione alterius: ſingulaq́, characteribus inciſa ſunt, nominibuſq́. diſtincta ſingulorum, hoc modo, SEPVLCRVM ABRAHAM PATRIS NOSTRI, SVPER QVEM PAX SIT, &c. ad idē exemplū. ardet aūt perpetuò lāpas nocte atque

Hebron.

Sancti Abrahæ templū.

atque die in ſpelúca, miniſtris templi oleum & pabulum miniſtrantibus aſſiduè. Sunt etiam in eadem ſpelunca dolia plena oſſibus Iſraëlitarum antiquorum, illuc à familiis Iſraël aſportata, quæ in hodiernum vſq. diem eodem illo in loco manent. In ipſo verò duplicitatis agro antiquæ domus patris noſtri Abrahæ monumenta adhuc extant & viſuntur, & fons ante illam ſcaturit, neminiq́ue licet illic domum ædificare propter Abrahæ obſeruantiam.

Abrahæ domus.

Inde duabus leucis Beth-Gebarin diſtat, quæ Mareſſa dicta olim fuit, vbi tres tantùm Iudæi erant. Hinc quinque paraſangarum itinere peracto in Torondolos Gabraleris veni, quæ Sunam quondam vocabatur, vbi Iudæi trecenti ſunt. Inde leucis tribus Sanctus Samuel de Silo eſt, oppidum videlicet olim Siloh dictum, à Ieruſalem duabus paraſangis diſtans, vbi magnum templum eſt, in eoq́ue ſepulcrum Samuelis prophetæ à Chriſtianis ex Ramatha, quæ eadem Rama eſt, huc tranſlatum poſt exactos inde Iſmaëlitas, oppidumq́ue captũ, vbi antea Samuelis corpus in Iudæorum Synagoga ſepultum cuſtodiebatur. eſt autem nunc, vti dixi, in Silo eximiũ & magnũ templũ, cui nomen eſt ab ipſis impoſitum Sancto Samueli de Silo: & ad hunc vſque diẽ manet.

Beth Gebarin. Mareſſa Vnde Micheæ patria.

Torondolos Gabraleris. Sunam.

Ramatha. Rama

Silo.

Samuelis templum.

Inde

Inde profectus tribus peractis paraſangis verſus montem Moria Peſipuam veni, quæ Gibgha Saulis patria eſt, aliâs Gibgha Beniamin dicta, vbi nulli Iudæi ſunt. Tribus deinde leucis Beth-Nobi diſtat, eadem Nob dicta, ſacerdotalis ciuitas, vbi Iudæi duo infectores, in medioque viæ illius duæ illæ rupes ſunt Ionathæ memoria illuſtres, quarum alteri Botſen, alteri verò Sina nomen eſt. Illinc profectus poſt tres paraſangas veni in Ramas, quæ olim Harama; cuius murorum & ædificiorum pars ab antiquis vſque temporibus manet, idque lapidum inſcriptionibus adhuc extantibus confirmatur; oſtendũturque veſtigia & ruinæ ac ſitus maximæ quondam vrbis, vbi tantùm tres Iudæi nunc ſunt. Viſiturque adhuc Iſraëlitarum ager, Iſraëlitarum ſepulcris inſtructus multis, duorũ miliarium ſpatio longus. Quinque abhinc leucis eſt Gapha, olim Iapho, aliis Iope dicta, ad mare ſita; vbi vnus tantùm Iudæus, iſque lanæ inficiendæ artifex eſt. Hinc Ebalin vſq. paraſangas confeci tres. ea vrbs eſt quæ Iebna quondam dicebatur, in qua antiquæ ſcholæ ſitus adhuc viſitur, nulluſque illic Iudæus eſt. Atque hic Ephraim tribus finis erat. Vnde tribus peractis leucis Palmin me cõtuli, olim Aſdod, ſiue Aſotum appellatam, Palæſtinorum celeberrimam quondam vrbẽ, nunc

Moria Peſipua. Gibgha Saulis ſiue Beniamini. Beth-Nobi. Nob. Ionathan. Botſen. Sina. Ramas. Harama. Gapha. Iapho. Iope. Ebalin. Iebna. Palmis. Aſotus. Aſdod.

verò dirutam: in ea nullus Iudæus eſt. à qua
Aſcalona. Aſcalona duabus paraſangis diſſita eſt. Hæc
Aſcalon noua. eſt Aſcalon cognomento noua, ab Eſdra ſacerdote, in maris littore condita, quæ initio
Benibera. Benibera appellata fuit. Hæc ab antiqua Aſcalone Palæſtinorum iam quondam vaſtata paraſangis quatuor diſtat. Eſt autem noua hæc ingens & pulchra vrbs, multis vndique negotiorum cauſſa confluẽtibus hominibus frequens, eo quòd in parte termini Ægypti ſita ſit. in eaque ſunt Iudæi ducenti fere docti, quibus præeunt Tſamahh, & Aharon, & Salomo. Sunt etiam quadraginta circiter ex iis ſtudioſis qui literales dicuntur, hoc eſt in ſacrorum librorum ſimplici ſententia verſati, & Cuthæi, ſiue Samaritanorum doctrinæ ſectatores, quaſi trecenti. Eſt autem illic puteus in media vrbe, quem Iſmaëlitica lingua incolæ vocant Bir Abraham Alchelil, hoc eſt pu-
ביר אברהם אלכליל teum Abrahami maximi, ab Abrahamo apertus Palæſtinorum diebus. Hinc Seguram
Seguras. Lud. pertranſij, cui Lud antiquum nomen fuit: vnde ſeſquidiei itinere confecto Zarezin ve-
Zarezin. ni, quæ Iezreghel, vbi magna quædam ædes
Iezreghel. eſt, in eaque vnus tantùm Iudæus lanarum infector. Quatuor hinc leucis Sipuria eſt
Sipuria. Tſipori. quondam Tſipori vocata, vbi ſepulcra ſunt
Hakados. Hhaiia. Ionas. magiſtri magni illius Hakados appellati, & Hhaiiah qui aſcendit ex Babylone, & Ionæ filij

filij Amithai prophetæ, qui in monte ſepulti ſunt. ac præter hæc etiam plura alia ſepulcra antiqua ſunt. Hinc tribus paraſangis Tiberia eſt ſecundum Iordanem ad lacum, mare Kinereth ſiue Genezareth vocatum, in quem Iordanis influit & effunditur verſus mare ſalis in terrã planitiei: atque hic locus dictus eſt Aſdoth-hapiſga; & egreſſus inde incidit in mare Sodomæ, quod Mare ſalis dicitur. Sunt verò Tiberiæ Iudæi quinquaginta ferè: in hiſq. primi Abraham vidẽs & Muchthar & Iſaac. Sunt verò in illo loco aquæ calidæ ab humo ſcaturiẽtes, quas Tiberiæ thermas appellant; ibidemq. eſt ſynagoga Caleb filij Iephune non longè à thermis. complura quoque illic Iſraëlitarum ſepulcra ſunt, celeberrimaque in primis Iohannis filij Zachai, & Ionathæ filij Leui: omnia hæc in Galilæa inferiori ſunt. Hinc duobus itineribus in Timin veni, quæ Tamnatha quondam dicta fuit, inſignis ſepulcro Samuelis Iuſti quod adhuc viſitur, & aliis etiam Iſraëlitarum ſepulcris inſtructa. Illinc poſt integrum iter Ghaſth eſt, Gus Hhaleb quondam dicta, in qua Iudæi circiter viginti. Hinc ſex paraſangis confectis Maran me contuli, cui antiquũ nomen Maron. in ea ſepulcra ſunt Hilel & Samai in ſpelunca cum viginti ſepulcris diſcipulorum vtriuſque, & aliis etiam monumentis,

Tiberia. Iordanis. Mare Kinereth ſiue Genezareth. Aſdothhapiſgah. Thermæ. Iohannes. Ionathas. Timin. Tamnatha. Ghaſth. Gus-Hhaleb Maran. Maron. Hilel. Samai.

mentis, vt Beniamin filij Iephat & Iehuda
Ghalma. filij Bathira. Inde ſex leucis eſt Ghalmah
ędificio magno ſepulcrorũ Iſraëlitarũ inſignis;
vbi Iudæi quinquaginta ſunt. Hinc dimidio
Kadis. itinere diſtat Kadis, quæ eadẽ Kades Neph-
Kades. Nephthali. thalim ad Iordanis ripam, vbi ſepulcra anti-
quorũ ſunt Eliezer filij Gharoch & Eliezer
filij Azariæ, & Huni cognomẽto Rotundi, &
RASBAC & Ioſe Galilæi. Ibidemq. extat ad-
Barak. huc monumentũ Barak filij Abinogham. Ex
Baliiuus, Dan. hoc loco profectus itinere integro in Baliiuus
veni, olim Dan dictá, iuxta quá antrũ eſt vnde
Iordanis caput. Iordanis prodit, qui tribus decurſis miliaribus
Arnon. Arnon aquas excipit ex Moab finibus deflu-
entis. Ante antrum ipſum oſtenduntur veſti-
gia aræ ſiue ſtatuæ, quam Michæas quidam
dicauit, à filiis Dan illis diebus cultæ; nec lõ-
gè etiam locus viſitur aræ à Ieroboam filio
Nabat erectæ, in qua vitulus ille aureus di-
catus fuit. Atque hactenus Iſraëlis terminus à
latere maris poſterioris. Vnde duo itinera
נור אלדין Damaſcum vſque confeci vrbem, initium
Damaſcus. regni Noraldini regis filiorum Thogarma,
qui Turci vulgò dicuntur. Vrbs ipſa maxima
atque pulcherrima eſt, muris cincta; regio ve-
rò tota hortis & paradiſis inſtructiſſima, ex
ſingulis lateribus quindena continens milia-
ria. Nuſquam aliâs in tota terra fructifera
vrbs huic ſimilis viſitur: quam duo flumina
ex Hermon

Hermon. Amna Pharphar.

ex Hermon monte delapſa beant, Amna & Pharphar. Sita enim eſt vrbs ſub Hermone monte. Amna vrbẽ ipſam influit,cuius aquę per tubos in omnes magnatũ domos, atq. etiã in fora & plateas diducũtur. Eſtq́. regio ipſa negotiis omniũ terrarũ frequens. Pharphar verò vrbẽ ipſam præterfluẽs hortos & paradiſos omnes irrigat. Eſt autẽ in vrbe Iſmaëlitarũ ſynagoga, quã illi Gumagh Dumeſq: hoc eſt Damaſci Moſcheã vocant,cui ſimile ædificium nuſquam terrarũ conſpicitur: dicitur autem ab incolis fuiſſe palatium regium Ben Hadad. Eſtque illic murus vitreus magorum opere cõſtructus, foraminibus diſtinctus dierum Solis numero paribus,ita vt ſingulis diebus Sol ſingula foramina ſubiens gradus duodecim horis diei aptatos perãbulet, atq. ita tẽpus indicet annuũ ac diurnũ. Sunt autẽ intra palatium ipſum ædes ſiue balneola ex auro argentoq́. conſtructa, in quibus ſolium ſimili materia eſt, magni dolij inſtar, ita vt tres homines lauantes ſimul capiat. Vidi intra palatium pendentem hominis coſtam vnius ex Enakim nouem Hiſpanicorum palmorum longitudine, duorum verò palmorũ latitudine: dicitur autẽ ille fuiſſe ex antiquiſſimis regibus Enac, nomine Abchamaz, vt ex ſepulcri illius lapide inſcripto eſt indicatũ: in quo ſcriptum etiam eſt illum in toto orbe

גומאע דומשק Congregatio vel Eccleſia Damaſci

Enak.

 regnaſſe.

regnaſſe. Sunt autem Damaſci Iſraëlitę circiter ter mille, inter quos diſcipuli ſapientum atque diuites ſunt. ibidem verò habitat caput Synedrij terræ Iſraël, cui Eſdra nomen eſt, & frater eius Sar Salom, præfectus Iudicij, & Ioſeph quintus ex Synedrio, & Matſliahh caput ordinis prælectorũ, & Mair ſapientũ corona, & Sadik medicus. ibidẽ etiã ex literalibus ducẽti ferè; ex Cuthæis verò ferè quadringẽti: inter quos omnes magna cócordia paxq́. eſt, nõ tamen hæ diuerſæ factiones matrimonia inuicẽ coniungunt. Damaſco profectus integro itinere Galgad me contuli, quæ eadem Gilead quondam dicta, amplam regionem aquarum fluuiis & fontibus ſcatentem, hortis atque pomœriis plenam, in qua ex Iſraëlitis ſexaginta circiter ſunt. Hinc verò dimidio itinere Salcatha eſt, quæ olim Saleca vrbs dicebatur. Vnde Baghal-Beik alterum dimidio itinere diſtat, cui nomen antiquum Baghala fuit, in valle ſita ſub Libano, à Salomone in Pharaonis filiæ gratiam & vſum cõdita. extatq́ue adhuc palatij ſtructuræ pars, cuius lapides Hiſpanicos palmos vigenos lõgitudine, latitudine verò duodenos æquant, inter quos nullum omnino intritum eſt. ferturq́ue vulgò ædificium illud non fuiſſe hominum manufactum, ſed * Aſmodæi. Atque in ipſo ciuitatis initio fons magnus erumpit, medi-

Galgad.

Salcatha. Saleca. Baghal-Beik

Baghala.

* i. dæmonis cuiuſdã cui nimia adſcribuntur & ſuperflua.

mediamq́ue vrbem perlabitur. Eſt etiam Thadmur in deſerto ſita, Salomonis quoque iuſſu ſimili ædificio lapidumq́ue magnitudine conſtructa: eſtq́ue muro cincta, ſola, vti dixi, atque ab habitatione alia ſemota, diſtanſq́ue à Baghala itineribus quatuor. In hac autem vrbe Thadmur Iudæi quater mille ſunt, fortes & ad pugnam prompti atque inſtructi: qui bellum cum filiis Edom gerunt, & cum filiis Gharab, vel Arabibus vulgò dictis, Noraldini regno parentibus. atq. iidem auxiliantur Iſmaëlitis vicinis. Hos autem anteeunt Iſaac cognomēto Gręcus, & Nathan, & Vziel. Illinc dimidio itinere Kiriathin veni, Kiriathaim quondā vocatam, in qua nulli Iudæi ſunt præter vnum infectorē lanarum. Vnde profectus integro itinere Hamath ingreſſus ſum, antiquum nomen retinentem, ſub Libano monte ſitam, ſecundum fluuium Iabok. Accidit autē in illis diebus, vt magno terræ tremore concuſſa vrbe vltra quindecim hominum millia vna die perierint: neque plures quàm ſeptuaginta viri fuerint ſuperſtites: quorum præcipuus eſt Ghola ſacerdos, & ſenex pater Galeb & Muchtar. Hinc dimidij diei itinere Siha diſtat, quondā Hhatſor appellata: à qua Lamdin non lōgius tribus leucis remota eſt. Inde duobus itineribus Hhaleb itur, cui vrbi & regioni antiquū no-

Thadmur.
Kiriathin.
Kiriathaim.
Hamath.
Fluuius Iabok.
Siha.
Hhatſor.
Lamdin.
Hhaleb.

Aram Sobba. men Aram Tſoba fuit: eſtque regia Noral-
dini regis, intra quam palatium eſt maximo
muro cinctum, nulluſque in tota vrbe fons
aut puteus aut fluuius eſt: bibuntur verò im-
bres in ciſternis collecti, quas lingua Iſmaëli-
אלגוב tica Algubos vocant. Hîc ex Iſraëlitis circi-
ter mille & quingenti ſunt, quorum capita
ſunt Moſes Conſtantinopolitanus, & Iſraël,
& Seth. Hinc verò duobus itineribus confe-
Baalits. ctis, Baalits veni, quondam Pethoran, iuxta
Pethora. Euphratem fluuium, vbi in hodiernum vſq.
Balaam. diem manet turris Balaam filij Beghor (im-
piorum nomen aboleatur) ad diei horarum
rationes ędificata: in illaque vrbe exiguus Iu-
dæorum numerus eſt. Illinc dimidium iter
Kelagh Geber. eſt vſque ad Kelagh Geber, quæ Selagh Mid-
Selagh Midbera. bera antiquis fuit, Latinis Petra deſerti. Hanc
Petra deſerti tantùm retinuere Arabes; poſtquam à Tur-
Arabes. cis ex ſuis ſedibus & vrbibus vi pulſi, in de-
ſerta confugere. Sunt verò hic bis mille ferè
Iudæi, horumque anteſignani Sedekias,
Dakia. Hhaiia, & Salomo. Hinc itinere vno Dakia
Chalne. diſtat, quæ quondam Chalne dicebatur, ini-
Senaar. tium terræ Senaar, quæ media eſt: procurrit
Turcæ. inter Turcarum regnum & Sangaſar regio-
Sanghaſar. nem. Suntque illic ſeptingenti ferè Iudæi,
quibus præeunt Zachai, & Nedib, alio nomi-
סגיא נהור i. valdè illuſtris. ne SAGI Nehor, & Ioſeph. Eſtque hoc in lo-
co Synagoga ab Eſdra ædificata redeunte ex
Babylone

Babylone Hieroſolymam. Inde poſt itinera duo Hharan antiqua eſt, in qua etiam ſimilis ſtructuræ ſynagoga eſt, eiuſdem Eſdræ iuſſu facta: ſed is locus, in quo Abraham patris noſtri domus fuerat, nullum ædificium continet, ab Iſmaëlitis verò religioſè colitur; ab iiſdemq́ue precum fundendarum cauſſa frequẽtatur. Illinc profectis duorum dierum iter peragitur vſque ad locum vnde fluuius erumpit ab incolis Alchabor dictus, idẽ olim Hhabor appellatus, qui in prouinciam Madai ſiue Mediam procurrit, inciditq́ue in montem Gozen. Ibidem verò Iudæi circiter bis mille ſunt. Hinc duo poſt itinera Netſibin ſiue Niſibis eſt magna vrbs, aquarũ fluminibus abundans; in qua ſunt Iudæi ferè mille. Vnde duobus itineribus peractis in Gezir Ben-Ghamar venitur, quæ vrbs intra ripas continetur Hidekel amnis, quem occidentales Tigriden vocant, ad radices montiũ Ararat ſiue Tauri, quatuor miliaribus ferè diſtans à loco in quo Noë arca quieuerat: illam autem arcam Ghamar-Ben-Alchetab ex montis dorſo ſublatam, in Iſmaëlitarum Moſcheæ vſum tranſlatam adaptauit, cui ſatis proxima Eſdræ ſynagoga vſq. ad hodiernum diem eſt, ad quam Iudæi ex vrbe egreſſi feſtis diebus precationũ cauſſa conueniunt. Sunt autẽ in illa metropoli Geziræ Gamar-

Hharan.
Alchabor.
Hhabor.
Madai.
Media.
Gozen.
Netſibin.
Niſibis.
Gezir Ben-ghamar.
Hidekel.
Tigris.
Ararat.
Noe arca
עמר
בן אלכטאב
Gamar-Ben
Alchetab.

Ben-Alchetab Iudæi quater mille ferè, primoribus Mubhhar,& Ioſeph,& Hhaiia. Illinc duobus itineribus Al-Mutſal diſtat, cui nomen quondá Aſſur magna fuit, in qua ſeptem millia Iudæorum ſunt: quos anteeunt Zachai haNaſſi ex poſteritate Dauid regis & Ioſeph cognominatus Barhan al pelech, conſiliarius regis Zinaldin fratris Noraldini Damaſcenorum regis. Atque hæc vrbs Perſiæ regni nunc initium eſt, amplitudinemque illam & magnitudinem antiquam retinet ad Hhidekel flumen ſita, inter quam & Niniuen antiquam pons tantum intereſt: ſed Niniue exciſa funditus eſt: pagi tamẽ & caſtella multa ſunt intra antiqui ambitus ſpatium, à quo ad Adbael vrbem paraſangæ vnius diſtantia eſt. Erat autem Niniue ad Hhidekel ripam ædificata. In vrbe verò Aſſur tres ſynagogæ nunc ſunt prophetarum trium, Abdiæ, Ionæ filij Amithai, & Nahhum Elcuſſei. Inde profectus, tertioque peracto itinere, in Rahaban deueni, antiquis Rehhoboth appellatam, iuxta Euphratem fluuiũ ſitam, in qua Iudæi bis mille ferè ſunt, quorum primores Ezechias & Ahud,& Iſaak habentur. Eſt autem maxima & pulcherrima vrbs vndique muris cincta, apprimeque munita, pulcherrimis hortorum & paradiſorum ſuburbanis inſtructa. In eiuſdem fluminis

Almutſal. Aſſur.

הנשיא i. princeps.

ברהן אל פלך i. aſtrologiæ peritus Arabicè.

Mutſal Perſiæ initiũ

Niniue.

Adbael.

Synagogæ Abdiæ, Ionę,& Nahum.

Rahaba. Rehhoboth Euphrates.

ripa Karkeſia eſt olim Charchamis dicta, vnico itinere à Rahhaba remota; in qua quingenti circiter Iudæi habitant, Iſaac & Elhhana anteſignanis. Hinc duorum dierum itinere Al-Iobar petitur, cui vetuſtum nomen Pumbeditha fuit, ſita in Nahardagha: in qua circiter bis mille Iudæi ſunt, inter quos diſcipuli ſapientum non pauci; horum verò anteſignani ſunt Hen Magnus, & Moſes, & Eliakim. memorabilia habentur illic ſepulcra Iuda & Samuel magiſtrorum. Ante vtrumque ſepulcrum duæ ſynagogæ ſunt, ab ipſis ante mortem ædificatæ. ibidemq́ue ſepulcrum Beſtenai Hanaſſi qui fuit caput tranſmigrationis, & Nathan, & Neheman filij Papha. Hinc profectus ad Hhardan vſque itinera quinque confeci, in qua Iudęorũ ſunt circiter quindecim millia, quibus anteeunt Zachen & Ioſeph & Nathanael. Ab hac vrbe duo itinera ſunt ad Ghukberan metropolin, à Iechonia rege Iuda ædificatam, in qua Iudæorum decem millia ferè ſunt primoribus Iehoſuagh & Nathan. Hinc itineribus duobus diſtat Bagdad magna vrbs, initium regni Caliphæ nomine Amir Almumanin Alghabaſſi, ex progenie illius quem Iſmaëlitæ prophetam ſuum vocant, qui toti doctrinæ & ſectæ Iſmaëlitarum præeſt: atque hoc nomine ceteris omnibus Iſmaëlitis regibus ſuſpiciendus

Karkeſia, Charchamis

Al-Iobar. Pumbeditha.

Nahardagha.

Dux captiuorum ibidem exulantium.

Hharda.

Ghukbera.

Iechonias.

Bagdad.

Calipha
אמיר אל
מומנין אל
עבאסי
i Imperator credentium qui vitã miſerè & mæſtè degunt.

ciendus venerabiliſque habetur: præeſt enim omnibus illis vt ſummus quidam omnium pontifex. Habetque intra vrbem ipſam Bagdad palatium trium miliarium area conſtructum, intraque palatium ſilua omnium terrę orbis arborum generibus inſtructa eſt, non ſolùm fructiferis, ſed ſterilibus etiam; beſtiarum quoque naturis omnibus frequens: in media autem ſilua maximum ſtagnum aquarum ex Tigri flumine deductarum. Calipha autem in illa ſilua animi cauſſa vel deambulante vel cenante venationes, aucupia & piſcationes à miniſtris exercentur, hunc locum ille petit conſiliariorum & principum ſuorum comitatu inſtructus. Eſtque nomen proprium magni huius regis Al-Ghabaſſi Hhaphtſi, qui valdè Iſraëlitas amat, linguarũ peritus, Moſaicæ legis legendæ ſtudioſus, qui Hebraicè doctus doctè & legit & ſcribit. is autem ſibi hanc religionẽ indixit, vt nullum vſum capiat vel cibi vel potus, aut veſtitus, niſi ex manuum ſuarum labore: eſt verò artifex ſtorearum & tegetum elegantiſſimarum, quas ſigillo proprio notatas in forum vendendas præcipuis miniſtris ſuis tradit: eas verò magnates terræ emunt, illiuſque quæſtus pecunia ipſe ſibi victum parat: eſt autem probis moribus vir & fidelis, ſuoque ritu religioſus, humaniſſimeque ſalutat & alloquitur

Calipha

אל עבאסי חאפצי Alghabaſsi Hhaphtſi. i. demiſsi obſeruatores.

tur homines omnes. At verò Iſmaëlitis non licet illum intueri. Peregrini autem, qui ex remotiſſimis regionibus domum illam celebrē Meka dictam, in terra Æliman ſitam petunt, hâc iter faciunt Caliphæ ſalutandi ſtudio; ingreſſique in palatium clamant, Domine noſter Iſmaëlitarum lux, legiſque noſtræ iubar, oſtende nobis faciei tuæ ſplendorem: quorum verbis ipſe non intendit animum. Tum verò principes familiares ac miniſtri ipſius eundem huiuſmodi oratione petunt: Domine noſter, expande pacē tuam ſuper homines hos ex remotis regionibus huc venientes, quos mirabilis cupiditas impulit confugiendi in vmbram decoris tui. Eadem igitur hora ille veſtis ſuæ alam ſublatam è feneſtra demittit, quam peregrini adeuntes religiosè exoſculantur. auditoque huiuſmodi reſponſo ex vno illorum familiarium principum, Ite in pace; iam quippe Dominus noſter Iſmaëlitarum lux excepit & dedit vobis pacem. (exiſtimatur enim ab his tamquam ille quem ipſi ſuum Prophetam prædicant.) redeunt itaque in patriam vnuſquiſq. ſuam lætiſſimi, poſtquam hoc modo dimiſſi huiuſmodi principis oratione fuerint: ac domum redeuntes, à fratribus, conſanguineis & familiaribus atque neceſſariis veſtium exoſculationibus excipiuntur. Singulis autem princi-

Meka.
Æliman.

principibus iis, qui Caliphæ inſeruiunt, ſin-
gula ſunt palatia intra illam maximam regiá,
ſinguli tamen ferreis catenis vincti incedunt,
atque ſingulis horum ædibus præfecti ſunt
cuſtodes obſeruantes, ne quis aduerſus ma-
ximum illum regem nouarum rerum ali-
quid tentet. Accidit enim ſemel, vt ipſius fra-
tres aduerſus eum coniuratione inita vnum
alium quempiam ex ipſorum numero præfi-
cerent; quamobrem ipſe decreto ſanxit, vt
ſinguli gentilitiæ ipſius familiæ filij catenis
ferreis vincirentur, ne iterum eiuſmodi ag-
grederentur facinus aduerſus maximum re-
gem. Verùm vnuſquiſque verſatur in priua-
ta aula amplis honoribus cultus, habetq́ue
vrbes, oppida & regiones, ex quibus per quæ-
ſtores allata tributa & vectigalia quotannis
accipit. exercent auté conuiuia, & genio per
totá vitá indulgent. Sunt verò in illo maximi
regis palatio admirandæ magnitudinis ædifi-
cia, & columnæ ex argento & auro & pene-
tralia his metallis obducta, & omnibus gé-
marum & vnionum generibus exornata: quo
palatio ille ſemel in anno tantum prodit eo
feſto vel paſchate quod ab ipſis Ramadan di-
citur. concurrit autem frequens hominum
turba ex variis & remotis regionibus ad illam
diem ipſius faciei videndæ cauſſa. vehitur ve-
rò ille mula regiis veſtimentis ex auro & ar-
gento

Ramadan paſcha. Iſmaëlitarũ; à רמד i. cinere videtur deductum.

gento contextis indutus, caput cydari ornatus incomparabilis pretij lapidibus ſplendenti: ſuper cydarim verò nigrum ſudarium geſtat, quo geſtamine ſeculi huius verecundiam profitetur; ac ſi diceret: Hanc maximā quam conſpicitis amplitudinem tenebræ obſcurabunt in die mortis. comitantur præterea ipſum Iſmaelitarū magnates omnes pulcherrimis culti veſtibus, equiſque inſidentes principes Arabiæ, principes Mediæ & Perſidis, principes regionis Tuboth, quæ ab Arabia trium menſium itinere diſtat. Prodit autem ex regia ſua ad magnam quam vocant precationis domum in porta Boſra ædificatam: illa enim illis maxima precationis domus habetur. Porrò tam viri quàm feminę, omnes qui illum diem celebrant, purpureis & ſericeis indumentis veſtiti ſunt. Inuenias etiam per vias & plateas cunctas omnia inſtrumentorum, canticorum, ſaltationum genera ipſo prætereunte ludentia. atque ipſe Calipha maximus rex ab omnibus ſalutatur huiuſmodi vocibus: Pax ſuper te Domine noſter Rex. Ipſe, inquam, ſuam ipſius veſtem exoſculatur, qua interdum, interdum verò ſola manu protenſa pacem & ſalutationem illis ſignificat. atque ita vſque ad precationis atrium incedit, vbi turri lignea conſcenſa ex ſuperiori loco legem ſuam pro concione interpretatur,

Arabia. Perſis. Tuboth.

Boſra.

terpretatur. Tum verò Iſmaëlitarum ſapientes conſurgentes illi fauſta omnia precati gratulantur, magnitudinem & pietatem eximiã multis exemplis perſpectam, quã perpetuam ipſi optant. Hanc verò gratulationem ceteri omnes promouent, reſpondentes amen. Deinde verò ipſe illis omnibus benedicit. mox camelus adductus ab ipſo iugulatur: hoc enim paſchale conuiuium illis habetur. ex cuius carne principibus illis miniſtris ſuis particulas diſtribui iubet deguſtaturis mactationẽ ab ipſorum rege ſancto factam; quo illi dono valde lætantur. Hiſque ſuo ritu peractis, ab illa precationis domo diſcedunt. Redit autẽ Rex alia via quàm venerat ſecundum Tigris fluuij ripam ipſe ſolus. nam ceteri principes ac miniſtri nauigiis per fluuiũ vecti redeunt ante illum, donec ingrediatur in regiam. obſeruatur autem via illa diligẽter toto anno per cuſtodes, ne quis fortè eo loco ingrediatur, qui pedũ illius veſtigiis ſacer eſt. Toto ipſo deinceps anno intra regiã continetur nuſquã aliò egreſſurus. Eſt autẽ ipſe puris moribus, atq. iuxta ſuã illã ſectã iuſtus & pius. Cõſtruxit verò palatiũ vltra fluuiũ in ipſa ripa brachij cuiuſdã Euphratis fluminis, qui ex altero vrbis latere fluit, in quo magnas domos ædificauit & fora, atque etiam xenodochia, ægrotantibus pauperibus curandis idonea: nume-

numeranturq. ibidem ſexaginta ferè medicorum apothecæ, omnibus neceſſariis aromatum, medicamẽtorum & aliarum opportunarum rerum generibus ex regia domo allatis abundè omnes inſtructæ. Exhibetur itaque ægrotantibus cunctis eò deductis regio ſumptu quidquid ad medicinam & victum atque integram curationem commodum eſſe cenſetur, donec confirmari contingat. Eſt præterea eodem in loco palatium quod DAR ALMARAPHTHAN vocatur, hoc eſt, domus miſericordiæ, furioſis omnibus in regione inuentis includendis, vinciendis & curandis deſtinatum: quorum ſinguli ferreis compedibus ligantur, donec ad mentem redeãt: tunc enim ſinguli in domum ſuam reuerti permittuntur, curantibus id & examinantibus per ſingulos menſes viris, quibus id muneris à rege demandatum eſt. Hæc omnia eleemoſynæ ac beneficij cauſſâ à rege illo inſtituta ſunt conferendi communiter omnibus eò venientibus, qui vel inſania vel alio morbo laborent. eſt enim, vt diximus, ingenio miſericordi & humano, bonæque mentis. In eadem autem vrbe Bagdad dicta Iudæi circiter mille ſunt, in ſumma pace & quiete agentes, & honeſtè valdè tractati ſub manu regis illius Magni cognominati; inter quos doctiſſimi viri aliqui ſunt Synedriorum primarij, in

דאר אל
מראפתאן

Moſaicæ legis ſtudio apprimè verſati. Sunt verò ibidem Synedria decem, quorum maximi caput eſt Semuel filius Heli: deinde verò aliorum Synedriorum capita ſunt, Gaon Sagan Leuites ſecundi: tertij verò, Daniel Sod: quarti Eliezer Hahhaber: & Eliezer Ben Tſamahh caput ordinis, qui à Samuele propheta originem ducit, & cum fratribus ſuis muſicis inſtrumentis doctè ludit, hoc eſt pſalteriis eadem arte quę domo ſanctuarij adhuc ſtāte in vſu erat; hic eſt caput Synedrij quinti: Sexti autē Hhaſadias flos ſociorum: Haggæus Hanaſſi ſeptimo præeſt Synedrio: Octauo Eſdras: Nono Abraham cognomento Abutahar: Decimo atque vltimo Zachæus Ben Baſathnai. Hi omnes vacantes dicuntur, eò quòd nulli alij rei operam dent, præterquā adminiſtrandæ ſocietati. Exercent autem iudicia, iuſque dicunt omnibus ad ſe venientibus Iudæis illius regionis cunctis hebdomadæ diebus, præter ſecundum diem, quo cuncti conueniunt coram magno Samuele Synedrij capite Iacobidarum decore, qui vnà cum decem illis vacantibus, Synedriorumq́. capitibus omni petenti ius dicunt. Omnium tamen horum ſupremus eſt Daniel filius Hhaſdai appellatus Captiuitatis caput, cui Genealogiæ liber eſt à Dauid vſq. deductus. Hic à Iudæis Dominus noſter appellatur, atque

(Margin, beside "Abutahar": אבו-טאהר)

(Margin: Captiuitatis caput, quis & qualis.)

que

que Captiuitatis caput. Idemq́ue ab Iſmaëli- סידנא בן דוד
tis Sidna Ben Dauid, id eſt dominus noſter
filius Dauid, dicitur. habetq́ue magnam au-
ctoritatem in omnes Iſraëlitarum congrega-
tiones ſub manu Amir Almonin Iſmaëlita-
rum domini: cuius hoc decretum fuit ad po-
ſteritatem etiam ſuam pertinens, addito ac
tradito etiam ſigillo auctoritatis in omnia Iſ-
raëlitarum collegia quæcumque intra legis
ſuæ ditioné continerentur, cui honoris cauſſa
omnes homines tã Iſmaëlitas quàm Iudæos
aſſurgere ſalutemq́ue dicere iuſſit, & cuiuſ-
uis etiam factionis gentes; ei qui ſecus fece-
rit, centum plagarum mulcta eſto. Hic verò
cùm magnum regem viſurus prodit, magno
equitum ex Iudæis & Gentibus comitum
numero ſtipatur præcone præeunte his ver-
bis: Expedite viam Domino filio Dauid,
vt dignum eſt; idq́ue ipſorum lingua clamãt.
Ipſe auté equo vehitur ſericeis veſtibus acuq.
pictis indutus: caput cydari magna ornat,
ſuper cydarim ſudarium album, ſuper ſuda-
rium torquem geſtat. Atque collegia omnia
Iſraëlitarũ regionis Senaar & Perſiæ & Char- Regio Senaar.
ſan & Seba, quæ nunc Aliman dicitur & Di- Perſia
arbeich, & omnis Meſopotamiæ regionis, & Charſan.
prouinciæ Kut, cuius incolæ in Ararat mon- Seba quæ & Aliman, &
tibus habitant, & regionis Alaniæ, quæ mõ- Diarbeich. אלימן דיארביך
tibus circumcluditur altiſſimis, nullum ha- Alania

 bent

bent acceſſum aut exitum præter ferreas portas ab Alexandro conſtitutas; in qua gens illa Alan dicta habitat: regionum præterea Sicriæ & omnis terræ Thogarmin vſque ad montes Aſna, & Gerganæorum prouinciȩ vſque ad Ghihon flumen. ſunt verò Gerganæi iidem qui Gergaſæi populi, nunc Chriſtiani, & vſque ad portas regionum atque terrarum optimarum; vſque ad Indiam, inquam, harũ omnium regionum collegia ex huius viri captiuitatis principis facultate & poteſtate caput ſibi & miniſtrum ſingula eligunt: qui delecti ad hunc veniunt auctoritatem & manuum impoſitionem accepturi: eidemq́ue dona & munera ex omnibus terræ finibus deferuntur. Sunt verò huic meritoriæ domus ſiue publicæ, quas Fondacos vocant: ſunt horti & pomœria Babylone atque prædia complura à maioribus ſuis hereditario iure accepta; nemo autem hominum quidquam ab illo aut rapere aut auferre audet. Habet idem meritorias & negotiationis domos in vſum Iudæorum. ex foris etiam & ex mercatoribus terræ tributum certum quotannis capit, præter id quod è remotis regionibus allatum accipit. Ditiſſimus itaque eſt, & tam in ſacris quàm in doctrinalibus libris diligenter verſatus ac doctus: paſcit verò multos ex Iſraëlitis quotidiano conuiuio.

Sicria.
Montes Aſna.
Gerganæi, qui & Gergaſæi.

Quo

Quo verò tempore huius familiæ vir aliquis conſtituitur in Caput captiuitatis, magnam pecuniæ vim profert & donat regi ipſi primùm, deinde principibus & magiſtratibus. Eo autem die quo rex illi manum auctoritatis & principatus concedendi cauſſa imponit, paratur ſecundus regis currus & inſternitur aſcenſuro; atq. à regia in propriam domum deducendo magna cum pompa atque cantu & tympanorum tibiarumq́ue ſono & ſtrepitu. Ipſe verò manuum impoſitionem exercet erga Synedrij viros. Sunt autem illius metropoleos habitatores Iudæi ſapiētum diſcipuli, ac perquam ditiſſimi: atque ſynagogæ octo & viginti numerantur in ipſa Bagdad vrbe, & in Parech ſiue ſuburbano quod trans Tigrin eſt. Interlabitur enim flumen metropolim ipſam. At verò magna illa ſynagoga, quę ad illum virum Captiuitatis caput pertinet, marmoribus conſtructa eſt, variis & elegantiſſimis omnium colorum auro argentoq́ue exornatis. in ipſis verò columnis Pſalmorum verſus aureis litteris inciſi leguntur. Ibidem porrò ante arcam ordines ſubſelliorũ decem ſunt marmoreis gradibus diſtincti; in quorũ ſupremo Caput captiuitatis cum Dauidicæ familiæ primoribus conſidet. Eſt autem metropolis ipſa magna, in qua etiam ciuitas caſtelli inſtar continetur, millium trium ambitu

Creandi Caput Captiuitatis ritus.

Synagogæ 28. in Bagdad.

bitu munita. regio palmetis, hortis & pomœriis abundat totius terræ Senaar elegantiſſimis, & generoſiſſimis; omnium regionum mercatoribus & negotiatoribus frequens eſt, alitq́. viros doctos & philoſophos, omniumq́. mathematicarum artium, diuinationum & incantationum ſtudioſos. Inde profectus duobus itineribus in Gehiagan veni, cui nomen antiquum Reſen fuit vrbi quondam magnæ àtque percelebri, in qua Iſraëlitæ quinquies mille ferè ſunt; habentq́ue ſynagogam magnam cũ cœmiterio ſynagogæ proximo: & in cœmiterio ſpeluncam doctorum quorundam antiquorum ſepulcris inſignem. Hinc vno itinere Babel illa antiqua diſtat triginta miliarium ſpatium complexa, iamq́. funditus euerſa, in qua Nabuchodonoſoris regiæ ruinæ adhuc viſuntur, hominibus inacceſſibiles propter varia & malefica ſerpentum draconumq́ue ibidem degẽtium genera. ab his ruinis non pluſquàm viginti millibus paſſuum diſtantes habitant Iſraëlitarum viginti millia, qui in ſynagogis preces fundunt; in quibus præcipua eſt illa Danielis ſuperior antiqua contignatio quadris lapidibus lateribuſque conſtructa, eademq́. materia tẽplum & palatium Nabuchodonoſoris & caminus ignis ardentis, in quem Hananias, Miſaël & Azarias coniecti ſunt. Atque omnia

Gehiaga aliàs Reſen.

Babel.

Nabuchodonoſoris regiæ ruinæ.

Caminus ignis ardentis, in quem cõiecti fuerunt Hananias, Miſaël & Azarias.

omnia hæc in valle cũctis notiſſima viſuntur. Inde ad Hhilan miliaria quinque peraguntur, vbi Iſraëlitarum decem ferè millia ſunt, in quatuor ſynagogas diuiſa, ex quibus vna Mairi ibidem ſepulti fuit: cui proxima etiam ſunt ſepulcra magni Zeghiri filij Hama & magni Maari: conueniuntq́ue eodem Iudæi quotidie precationis cauſſa. Illinc quatuor miliaria ſunt ad turrim quam diuiſionis filij ædificare cœperant, quæ eo genere laterum conſtruebatur, quod Arabicè Lagzar vocatur. Fundamenti longitudo duo ferè miliaria continet, murorum verò latitudo ducentorum quadraginta cubitorum eſt: vbi verò latiſſima, centum cannas continet. inter denarum cannarum ſpacia viæ ſunt in ſpirarum formam per totum ædificium productæ; quibus conſcenſis è ſupremo loco agri proſpiciuntur ad miliaria viginti. quippe regio ipſa latiſſima ac planiſſima eſt. Atqui ædificiũ hoc igni de cælo quondã tactũ atque ad infima vſq. exciſum eſt. Hinc dimidio itinere Naphahh eſt, vbi Iudæi ducẽti ferè ſunt: ibidemq́ue ſynagoga eſt magni illius Iſaac, cognomento Naphhæi, qui è regione ſepultus eſt. Inde tribus leucis Ezechielis Prophetæ ſynagoga eſt, ſecundum Euphratẽ fluuium; atque in eodem loco è regione ſynagogæ turres numero ſexaginta; interq. ſingulas turres

Hhilan.

Turris Babel.

לאגזר Hiſpanicè Mazari.

Naphahh.

*Ezechielis* prophetæ ſynagoga.

ſingulæ quoq. ſunt ſynagogæ, atq. in ſynagogæ atrio arca eſt; & poſt ſynagogã Ezechielis filij Buzi ſacerdotis monumentũ ſub magna & pulcherrima teſtudine à Iechonia Iudę rege cõſtructa vnà cũ triginta quinq. millibus Iudęorum, qui illum ab Euilmerodak ex carcere liberatum ſecuti ſunt. Eſtque locus hic inter fluuium Cobar & flumen Euphratem. Atque in muris ipſis Iechonias & qui cum eo venere, inciſi ſunt; Iechonias primus, poſtremus verò Ezechiel. Eſtque locus hic ſanctus ad hunc vſque diem. eoque loci certo tempore multi precationis cauſſa conueniunt, ab initio anni ad expiationum vſque feſtũ: ibidemque lætiſſimos agunt dies. Atque princeps ille vir, quem Captiuitatis caput nominant, cum aliis Synedriorum capitibus huc etiam ex Bagdad veniunt, omneſque in agro illo commorantur ad viginti duo miliaria variis locis tentoria figentes. Aduenuint prętere a mercatores Arabes, celebranturque nundinæ frequentiſſimæ. Producitur autem hoc tempore liber magnus auctoritate atque antiquitate celeberrimus ab Ezechiele conſcriptus Propheta, in quo expiationis die legitur. Atque ſuper Ezechielis ſepulcrum lãpas perpetuò ardet nocte atque die; ex quo primùm ab ipſo eodẽ propheta incenſa fuit, cui fila & oleum diſpenſantur ac temperantur

Cobar fluuius.

tur aſſiduè. Eſt etiam ibidẽ magna quædam
ſancta ædes plena libris conſeruatis, tam à
domus primæ quàm à ſecundæ tempore. eſt-
q́ue moris & fuit, vt qui liberos non habue-
rint, eo loco ſuos libros conſecrarent. Nun-
cupantur præterea vota eo loco exoluenda à
Iudæis in Media & Perſia habitantibus. Iſ-
maëlitarum quoque principes viri huc con-
fluunt precationis cauſſa, apud quos magna
eſt Ezechielis prophetæ auctoritas & reuerẽ-
tia, cuius loci nomẽ illorum lingua Dar me- דארמליחא
lihha, hoc eſt congregationis domus: co- i. domus refugij.
demq́ue Arabes omnes precationis cauſſa
veniunt. ab hoc loco ad dimidium miliare
Hananiæ, Miſaël & Azariæ ſepulcra cum Sepulcra Hananię, Miſaelis & Azariæ.
ſingulis magnis & pulchris fornicibus viſun-
tur. Quamquam verò bellum in regionibus
illis accidat, nemo mortalium eſt qui hæc lo-
ca vel violare vel tangere audeat; neque ex
Iudæis neque ex Iſmaëlitis, propter Ezechie-
lis prophetæ reuerentiam. Inde trium mi-
liarium via conficitur ad Alkotſonath vr- Vrbs Alkotſonath.
bem, in qua trecenti ferè Iudęi ſunt, ibidem-
q́ue ſepulcra magni Papha & Huna & magi-
ſtri Ioſeph Sinæi & Ioſeph filij Hhama. At-
que è regione ſingulorum ſingulæ ſynagogæ
ſunt, in quas Iudæi quotidie precationis cauſ-
ſa conueniunt. Hinc in Ghein Saphta leucæ Ghein Saphta.
tres ſunt, vbi Nahum Elcuſæi prophetæ ſe-

Capharlepa-ras.

pulcrum eſt. Inde vnum iter eſt ad Caphar le-Paras locum illuſtrẽ ſepulcris Hhaſſidai, & Ghakiba & Duſa.

Capharme-hamidbar.

Illinc itinere dimidio Capharmehamidbar diſtat, vbi magiſter Dauid & Iehuda & Kuberia & Sehora, & Abba ſepulti iacent.

Liga fluuius.
Sedechiæ ſepulcrum.
Kupha.
Iechoniæ ſepulcrum.

Inde vnum iter in fluuium Liga eſt, vbi Sedechiæ regis ſepulcrum eſt magna fornice ornatum. Hinc vnum iter ad Kupha vrbem Iechoniæ regis monumento inſignem magni operis, cui è regione ſynagoga ædificata eſt; ſuntque hoc loco Iudæorum ferè ſeptem millia.

Suria.
Matha Mahhaſia.

Inde verò ſeſqui-itinere Suria eſt, quam antiqui Matha Mahhaſia vocarunt, in qua Captiuitatis capita & Synedriorum primores initio fuere; ibidem verò ſepulti ſunt magni viri Sarica & eiuſdem filius Haai & Saadias Piiumi & Semuel filius Hhophni ſacerdos & Sephanias filius Chuſſi filij Godoliæ propheta, complureſque alij ex capitibus captiuitatis principes familiæ Dauid & Synedriorum primates: qui illic commorati ſunt initio ante exciſionem.

Sephaniæ ſepulcrum.

Sephithib.
Nahardagha.
Elnachar.
Pumbeditha

Hinc duo itinera ad Sephithib conficiuntur, quæ in Nahardagha ſita eſt. Inde verò ſeſqui-diei iter in Elnachar eſt, quæ eadem Pũbeditha ad Euphratis ripam ſita, vbi ſynagoga viſitur illius qui antonomaticè Rab dictus eſt, & Samuelis, iuxta quam etiam ipſorum monumenta ſunt. Illinc via per ſolitudines

facta

facta regio Seba petitur, quæ nunc terra Aliman dicitur, regioni Senaar à ſeptentrione confinis, cuius tractus vnum & viginti itinera continet per ſolitudines facienda: atq. in hac regione Iudæi illi habitát qui Recab filij appellantur, alio nomine viri Theima. eſt enim Theima illorum ditionis initium, quos nūc Hanan Hanaſſi gubernat. Eſt autem vrbs ipſa Theima magna & frequens. Horum regio inter montes, qui ſeptemtrionales dicuntur, ſedecim dierum itinere protenditur; vrbibus magnis & munitiſſimis exculta, nulliq́ue externæ gentis iugo ſubdita: vnde prodeuntes incolæ finitimas & remotiores etiam gentes diripiunt omnes quotquot ſunt vſque ad Arabes qui cum ipſis fœdus habent. Sunt verò Arabes hi qui habitant in tentoriis, mobileſq́ue ſedes tenent in ſolitudinibus regionis ipſorum, alienaſq́ue terras prædæ cauſſa inuadunt in omni illa regione Aliman: atque ij Iudæi quos modò indicabamus, agros colūt, & paſcua; armenta atque pecora poſſident, latiſſimam regionem & vaſtam obtinentes, qui ex omnibus prouentibus ſuis decimas dant in vſum diſcipulorum ſapientum, doctrinæ atque concionibus perpetuò vacantiū & Phariſæorum, qui Sion lugent & Ieroſolymam deplorant, carnibus ac vino perpetuò abſtinentes, pullatiſq́ue veſtibus ſemper induti,

Seba. Aliman.

Recab filij Theima.

induti, ſpecubus aut caſulis inhabitátes, cunctiſq́ue diebus præter Sabbatum ieiunantes, aſſiduis etiam precibus Dei miſericordiam & nomen ſanctum implorantes erga liberationem captiuitatis Iſraël. Idem etiam precantur Iudæi omnes viri regionis Theima &

Theima.
Telimaas.

Telimaas, in qua centum ferè millia Iudæorum ſunt: inter quos Selomoh Hanaſſi, hoc eſt ſummus, eiuſdemq́ue frater Hhanan Hanaſſi, ex progenie Dauid regis: quod deductus per ſæcula familiæ codex indicat. Atque hi omnes ſciſſis veſtibus incedunt, quadrageniſq́ue diebus ieiunant omnium Iudæorum in captiuitate degentium cauſſa. Habet autem prouincia illa vrbes circiter quadraginta, oppida ducenta atque caſtella centum.

Thenai metropolis regionis Theima.

Metropolis verò & caput Thenai eſt, atque in vrbibus illis omnibus habitátium Iudæorum ſumma tercentum ferè millia continet. Porrò metropolis illa ampliſſimis muris latiſſimè ambitur, adeò vt agros intra ſe habeat, & frumenti ſerendi atque metendi cōmoditatem copiamq́ue faciat. Quindecim enim miliaria longitudine, totidem etiam latitudine continet. Eſtq́ue ibidem palatium Salomonis Hanaſſi. atque vrbs ipſa pulcherrima eſt, hortis & pomœriis inſtructa

Tilmaas.

amœniſſimis. Nec minus etiam Tilmaas & pulchra & magna vrbs eſt, quam Iudæi circi-

ter

ter centies mille incolunt, inter duos altiſſimos montes ſita, & opere munitiſſima, doctis & prudentibus viris frequens, ex quibus multi diuites ſunt. A Tilmaas tribus itineribus Chibar diſtat: aiunt verò hos eſſe Reuben & Gad, & dimidiam Manaſſe tribus à Salmanaſar Aſſyriorum rege captas & huc tranſmiſſas, ędificaſſeque vrbes has magnas & munitiſſimas, atque ex his locis prodeuntes bella geſſiſſe & gerere cum finitimis regnis omnibus; nullumq́. hominem ad ipſos accedere poſſe propter vaſtas ſolitudines octodecim dierum itinere importuniſſimas. Atque Chibar magna etiam vrbs eſt, in qua Iſraëlitarum quinquaginta millia habitant, ex quibus multi docti viri ſunt & ſtrenuiſſimi complures qui cum filiis Senaar bellum gerunt, & cum Septemtrionalibus regionibus & incolis Eliman finitimis. Eſt autem hæc Hodu, hoc eſt Indiæ, à qua viginti & quinque itinera conficiuntur ad Viram fluuium, qui regionem Eliman interfluit, vbi Iſraëlitarum tria millia habitant. Hinc profectis ſeptem itinerum confecta via, Neaſat venitur, vbi ſepties mille Iſraëlitæ ſunt, inter quos Nedaian magnus habetur vir. Inde verò quinque dierum iter ad Boſran vſque conficitur ad Tigrin flumen ſitam, in qua Iſraëlitæ mille ſunt, ex quibus complures ſapientum

Chibar. Reuben. Gad Manaſſe.

Chibar.

Hodu India. Vira fluuius.

Neaſat.

Boſra.

pientum diſcipuli, multiq́ue diuites habentur.

Samura.

Hinc duobus itineribus Samura fluuius diſtat, Perſiæ regionis initium cum vrbe eiuſdem nominis, in qua mille & quingenti Iudæi habitant.

Eſdras. Artaxerſes. Eſdræ ſepulcrum.

Eſtq́ue locus ille inſignis Eſdrę ſcribę ſacerdotis ſepulcro, qui Ieroſolymis ad Artaxerſen regem legatus veniens, illic eſt vita defunctus. ante illius verò ſepulcrum magna ſynagoga ab antiquis eſt ædificata, atque ex altero latere Iſmaëlitæ precationis ædem conſtruxere propter ſummum erga virũ illum affectum: quæ etiam res in cauſſa eſt, vt Iudæi ab Iſmaëlitis eò loci ad preces confluentibus diligantur.

Chuzſethan Elam.

Inde quatuor miliaribus Chuzſethan diſtat, Elam olim dicta, Elamitarum patria, maxima vrbs, verùm magna ſui parte iam exciſa, vaſta & inhabitata,

Suſan Habira. Aſſueri regis palatium.

inter cuius ruinas Suſan Habira adhuc ſpectatur Aſſueri regis palatiũ maximum, pulcherrimo opere conſtructum, multis adhuc manentibus regij admirandiq́ue ędificij partibus & artis exemplis. Sunt in hac vrbe Iudæi ſepties mille, qui in ſynagogis congregantur numero quatuordecim; & ante vnam

Danielis ſepulcrum.

ex illis Danielis ſepulcrum eſt: interfluit autem Tigris fluuius vrbem ipſam & habitationem etiam Iudæorum diuidit: atque altera ex parte fluminis ditiſſimi omnes ſunt, quicumque inhabitant, foraq́ue habent negotiis

gotiis & mercibus inſtructiſſima : ex altera verò tenuiores pauperioreſque omnes, nulla fora, commercia nulla habent, neque hortos aut pomœria, adeò vt aliquando inuidiam conceperint aduerſum alteros, exiſtimauerintque diuitias & vbertatem illis ex Danielis prophetæ ibidem ſepulti vicinia effici: quamobrem ab illis poſtularunt, vt Danielis ſepulcrum ad ſuam regionem transferri permitteretur. quod cùm conſtanter negatum eſſet, ad contentionem primùm, deinde ad dimicationem atque pugnam deuentum eſt, magna cum vtriuſque partis clade ad multos vſque dies, donec tandem laſſi vtrique in conditiones & pacta conuenere, vt alternis annis Danielis cippus ad alteram partẽ tranſferretur: idque aliquandiu factũ repetitumque fuit, ſed accidit interim, vt Senigar Saa filius Saa regum omnium Perſarum Imperator ſummus eò veniret, cuius imperio quinque & quadraginta regna parent. Hic Arabicè Sultan alporas alkabir, hoc eſt magnus Perſiæ rex appellatur: extenditur verò huius ditio ab oſtio fluminis Sumra vſque ad Semarchoth vrbem, & ad fluuium Gozen, & ad regionem Ghisbor, & vrbes Mediæ & montes Hhaphton, & ad regiones illas optimas, vbi animalia aluntur, ex quibus myrrha ſoluta remittitur. Continetque

Senigar Saa Perſarum imperator.

Sumra flu.

Semarchoth

Gozen.

Ghisbor.

Montes Hhaphton.

Myrrha.

netque imperatoris huius ditio omnis menſium quatuor, totidemque dierum iter. Is igitur cùm in hac vrbe aliquando commoratus Danielis cippum ex altera in alteram vrbis regionem transferri, atque cum illo complures ex Iudęis & Iſmaëlitis commigrare vidiſſet, cauſſa rogata & cognita indignum iudicauit, vt huiuſmodi aduerſum Danielem irreuerentia toleraretur: verùm ſpatium inter vtramque partem diligenter dimenſus, Danielis cippũ in arca magna vitrea impoſitum in medio illo loco ex trabe maxima æneis catenis ſuſpendit, ędemque conſtrui iuſſit magnam ſynagogæ vſui dicatam, omnibuſq. totius orbis hominibus patentem, neminique negatam mortali, ſiue Iudæo ſiue Aramæo eò precationis cauſſa ingredi volenti. Pendet autem arca illa ex trabe vſque in hodiernum diem. Porrò Imperator ille edicto vetuit, ne quis piſces è fluuio caperet ad vnum ex inferiori parte, alterum verò ex ſuperiori, miliare, propter Danielis reuerẽtiam & cultum. Hinc ad Robad-Bar tria itinera ſunt, vbi etiam Iſraëlitarum viginti ferè millia habitant: in quibus complures ſapientum diſcipuli ac diuites multi ſunt: verùm hi ſub poteſtate alieni principis tamquam captiuĩ degunt. Inde verò duobus itineribus in fluuium Vaanath venitur, vbi quater mille

Robad Bar.

Vaanath.

ferè

ferè Iudæi ſunt. poſt quartum autem ab illo fluuio iter, regio Molhhaath eſt, cuius incolæ Iſmaëlitarum doctrinæ non credunt. habitant verò in montibus maximis, parentq́. Seniori, cui ſedes eſt in regione Alcheſiſin: ſuntq́ue inter hos duo Iſraëlitarum collegia, atque cum ipſis vnà in bellū prodeunt. Neque verò hi Perſiæ regis iugum ferunt, vtpote qui in editiſſimis montibus degunt: vnde deſcendētes in finitimas regiones excurrunt, & prædas agunt; rurſuſq́ue in montes ſuos reuertuntur. nullius hominis vim aut impetum timent. Iudæi verò qui inter hos habitant, ſapientum diſcipuli ſunt, & Babylonicæ captiuitatis capiti obediunt. Hinc dierum quinque iter conficitur ad Ghaarian, vbi Iſraëlitarum quinque & viginti millia ſunt. Eſtq́ue initium vniuerſitatum habitantium in montibus Hhaphthon, quas numero pluſquam centum eſſe conſtat. incipit verò his locis Mediæ regio. Suntq́ue hi ex prima captiuitate à Salmanaſaro rege abducta. loquuntur autem Chaldaicè, ſuntq́ue inter hos ſapientum diſcipuli. Eſt autem Ghamaria metropolis ad Perſiæ regnum pertinens, vicina his vno itinere. Sunt verò hi ſub Perſiæ regis ditione & poteſtate, cui tributum pendunt. Eſtq́ue tributum conſtitutum in omni Iſmaëlitarū regno, vt ſinguli mares de-

Molhhaath.

Alcheſiſin.

Ghaaria.

Hhaphthon.

Media.

Ghamaria.

cimoquinto anno maiores ſingulos aureos amircos quotannis exoluant. Atque Amircus aureus nummus ſeſquinummum aureum Hiſpanum Morabetinum valet. Duodecimus nunc annus agitur, ex quo vir quidam nomine Dauid Elroi ex vrbe Ghamaria ſurrexit, qui Capitis captiuitatis illius Hhaſdai, & capitis Synedrij Leui Iaacob Decētis diſcipulus fuerat in metropoli Baghdad, euaſeratque doctiſſimus in lege Moſis, & in doctrinalibus libris, & in omni etiam externa ſapientia, & in Iſmaëlitica lingua, atque ſcriptura, atque in magorum & incantatorum libris. Hic igitur eam ſibi mentem induit, vt aduerſus Perſarum regem arma moueret, & collectis Iudæis iis, qui in montibus Hhaphthon habitabant, bello gentibus omnibus illato Ieroſolymam vſque expugnaturus peteret. Id autem, vt Iudæis perſuaderet, mendacibus ſignis vſus eſt, affirmans à Deo ſeſe eſſe miſſum Ieroſolymam expugnandi, atque ipſos ex gentium iugo ſoluendi cauſſa; adeò vt apud multos ex Iudæis fidem ſibi conciliarit, & nomen obtinuerit Meſſiæ ipſorum. Eius rei fama audita Perſarum rex ipſum ad colloquium vocauit, quem ille intrepidus omnino adiit; & rogatus an ipſe Iudæorum rex eſſet, conſtanter ita eſſe reſpondit; atque extemplo à rege comprehendi & in carcerem intrudi

Amircus nummus.

Nummus aureus Morabitinus Hiſpanus.

Dauid Elroi hiſtoria.

intrudi iuſſus eſt: quo qui regia ſententiā includuntur, per totā vitā continentur. eſt autē carcer ille in Dabaſthan vrbe Gozen flumini maximo proxima. Dabaſthan. Poſt triduum verò principum & miniſtrorum cōcilio per regem coacto, in quo de eiuſmodi nouarum rerum molitione à Iudæis inita conſultari agique decretum fuerat, repentè Dauid ille exiſtens affuit, è carcere ſua ſponte nullo homine cōſcio ſolutus; quem cùm rex vidiſſet, admiratus rogauit: Quis nam te huc adduxit, aut è carcere liberauit? cui ille reſpondens: Sapientia, inquit, mea, & induſtria mea. Nihil enim ipſe vel te, vel ſeruos tuos metuo. Tum verò vociferatus rex, Apprehendite, inquit, hominem. cui principes atque miniſtri reſponderunt, illius vocem audiri quidem ab omnibus, ſpeciem verò à nemine prorſus cōſpici. quamobrem illius ſapientiam vehemēter admiratus rex, obſtupuit. ille verò aduerſus regem ait: En ego viam meam facio, & præcedere cœpit ſubſequentem ſe regem: proceres verò atque miniſtri omnes regem ſequebantur. Cùm autem ad fluminis ripam deuentum eſſet, Dauid, extenſo quod geſtabat ſudario ſuper aquas, inſiliens traiecit, atque eodem tempore ab omnibus eſt conſpectus, traiectionis ſpectaculum admirantibus, quem exiguis lintribus inſequi & capere

fruſtra tentatum eſt, ab omnibuſque proclamatum, neminem in terrarum orbe incantatorem illi poſſe comparari: ille verò eadem die, dierum decem via confecta in Elghamaraian ininterpretabilis nominis virtute perueniens, quæ ſibi accidiſſent Iudæis narrauit hominis ſapientiam admirantibus. At verò Perſarum rex Almirum Almunadinum Iſmaëlitarum Calipham ſummum nunciis in Bagdad miſſis huius rei certiorem fecit, orauitq́. vt Dauid Elroi per ſummum Captiuitatis caput & Synedriorum proceres ab huiuſmodi auſis auertendum curaret; aliâs niſi huic rei caueretur, Iudæis omnibus in Perſiæ regno degentibus publicum exitium comminatus. Eius rei omnes vniuerſitates regionis Perſarum ingenti metu perculſæ epiſtolas ad ſummum illum virũ qui Captiuitatis caput habebatur, atque ad ſynedriorum omnium capita, quæcumque in Bagdad erant, miſerunt in hanc ſententiam: Cur nam moriemur in oculis veſtris, tam nos quàm vniuerſitates omnes huic regno ſubditæ? compeſcite, obſecramus, virum hunc, ne innocens ſanguis effundatur. Igitur Captiuitatis caput, atque Synedriorum primores huiuſmodi litteras ad Dauid conſcripſerunt: Scias volumus liberationis noſtræ tempus nõdum veniſſe, neque ſigna noſtra fuiſſe adhuc ſpectata;

Elghamaraia.

אלרואי
i. Videns.

atz

ctata; non enim vento fortis efficitur vir. quamobrem prædicentes iniungimus tibi abſtinere omnino ab iſtiuſmodi conſiliis, auſis & conatibus; ſin minus, ab omni Iſraël eiectus eſto. Monuerunt etiam per nuncios Zachai Hanaſſi, qui erat in regione Aſſur, & Ioſephum Videntem cognominatũ, Burhan alpelech, illic agẽtem, vt epiſtolis à ſe ſcriptis Dauid Elroi compeſceretur; id quod ab illis diligenter eſt curatum. fruſtra tamen: quippe ille eam, quam inſtiterat, viam peſſimam deſerere noluit, donec rex quidam Togarmim ſurrexit Zinaldin dictus, qui Perſarum regi paret, atq. hic decies mille aureis nummis Dauidis Elroi ſocero miſſis, huic malo finem, occiſo clam genero, imponere perſuaſit: quod ille cùm ſe facturum recepiſſet, Dauidem domi ſuæ in lecto cubantem gladio confodit; atque conſiliorum & calliditatis illius vanæ hic exitus fuit. Neque verò illo extincto, Perſarum regis aduerſum illos montanos, alioſque ditioni ſuæ ſubiectos Iudæos ira ſedata eſt: quamobrem Iudæi per legatos auxilium à Captiuitatis capite poſtularunt. ille itaque regem ipſum petens placidis & prudentibus orationibus placauit, & multis auri talentis oblatis atque datis, ita confirmauit, vt magna deinde vniuerſæ regioni quies contigerit. Ab hoc autem, quem deſcripſimus,

Zinaldin Turcarum rex.

ſcripſimus, monte decem itinera fiunt ad
Hhamdan Media. Hhamdan magnam, & Medię regionis principem
vrbem; in qua Iſraëlitarum circiter
quinquaginta millia ſunt: atque in illa vrbe
Mardochæi & Eſther ſepulcra. è regione vnius ex ſynagogis Mardochæi &
Eſther ſepulcra ſunt. Hinc quatuor itineribus
Debarzethaan. Debarzethaan diſtat, vbi Iudæi quater
mille ſecundum Gozen fluuium habitant.
Inde verò ſeptem dierum iter conficitur vſq.
Asbahan. ad Asbahan metropolim vrbẽ maximá, duodecim
miliariũ ſpatiũ cõplexã, in qua Iſraëlitarum
circiter quindecim millia ſunt, quibus
præeſt magnus Salom, à Capite captiuitatis
huic vniuerſitati & ceteris omnibus, quæ in
Perſidis caſtellis habitant, Iſraëlitis pręfectus.
Siaphaz. Hinc profectus quatuor itinera ad Siaphaz
confeci vrbem Perſidis metropolim; atque
adeò ipſam antiquiſſimam Perſiden dictam,
vnde nomen toti regioni factum, in qua Iudæi
decies mille ferè ſunt. Ex Siaphaz itineribus
ſeptem Ginah vrbs petitur, ampliſſimo
Ginah. loco ſita ſecundum Gozen fluuij ripam,
celeberrimo omnium gẽtium & linguarum
commercio frequens, plano & latiſſimo ſolo,
in qua Iudæi circiter octo mille ſunt. Huius
Samarcheneth. regni extrema vrbs Samarcheneth magna &
celebris, à Ginah quinque dierum itinere ſepoſita;
vbi Iſraëlitarum quinquaginta millia
ſunt, quibus præeſt magiſter Abdias Hanaſſi:
in his

in his multi ſapientes & diuites ſunt. Quatuor hinc itineribus Tubot metropolis petitur, in cuius ſiluis Muſcus odoratus inuenitur. Illinc viginti atque octo diebus continuis via facta in montes Nisbon veni, qui fluuio Gozen defluenti imminent, atque Perſidis regno adſcribuntur; vbi multi ex Iſraëlitis ſunt. Aiunt verò in illis vrbibus montium Nisbor quatuor tribus Iſraëlitarum habitare, in prima captiuitate à Salmanaſar Aſſyriorũ rege abductas, videlicet Dan, Zabulon, Aſſer, & Nephthali. ſicut ſcriptum eſt: Et abduxit eos in Lahhlahh & Habor montes Gozen montes Mediæ. Horum regio ad viginti dierum iter protenditur, multis vrbibus & caſtellis habitata, montana ferè omnis, quam ex altero latere Gozen fluuius alluit. cultores autem ipſi nulli gentium iugo ſubſunt, ſed à præfecto quodam reguntur, cui nomen nunc eſt Ioſeph Amarcala Leuites. ſunt verò inter eos diſcipuli ſapientum. agros colunt, atque bella cum finitimis filiis Chus gerunt, expeditionemque per ſolitudines faciunt. Fœdera habent cum Copher Althorech ventorum cultoribus populis qui in ſolitudinibus vitam degunt. Hi neque panem edũt, neque vinum bibunt; ſed crudis animalium tam immundorum quàm mundorum carnibus veſcuntur, iiſdemq. vel recentibus & adhuc

Tubot.

Muſcus.

Nisbon mõtes, ſiue Niſbor.

Tribus quatuor.

Lahhlahh.

Copher Althorech.

ſanguine viuo palpitantibus, vel etiam aridiori bus, verùm incoctis, rapta etiam membra ex animantibus viuentibus deuorant. Naſo carent, ſed naſi loco bina foramina in facie habẽt, quibus reſpirant: Iſraëlitis amici ſunt. Accidit autem quintodecimo abhinc anno, vt hi magna manu Perſiæ regionem in-
Rai. uadentes Rai metropolim expugnauerint, & ingenti cæde facta omnino vaſtauerint, direptiſq́ue domibus & agris prædam magnam per ſolitudines reuerſi aſportarint; cuiuſmodi exemplum per multa ſæcula numquam in Perſide viſum vel auditum fuerat. Quamobrem Perſarum rex vehementer iratus, illius gentis ſibi vni primùm infeſtę, maiorumq́ue ſuorum temporibus nihil tale auſæ, nomen è terris penitus abolendum eſſe decreuit. Collectis igitur in expeditionem copiis, ductorem aliquem quærenti, cui gentis illius loca nota eſſent, ſeſe vnus quiſpiam vltrò obtulit, qui ex eadem gente ſe eſſe & illorum ſedes noſſe affirmaret. rogatus verò quid opus eſſet ad expeditionem faciendam, reſpõdit opus eſſe commeatu panis & aquæ ad quindecim dierum iter, quos in ſolitudine vaſtiſſima conſumi neceſſe erat: cuius conſilium cùm ſecuti quindecim itinera peregiſſent, cibo & potu hominibus & iumentis neceſſario defecti, tamen neque locum quò tenderent,

tenderent, neque vlla habitationis veſtigia videbant. Vocatus itaque ductor à rege cùm rogaretur, Vbi eſt verbum tuum, quo hoſtes nobis oſtenſurum te recepiſti; ſeſe à via aberraſſe reſpondit: quamobrem irati regis iuſſu capite multatus eſt. cœperat verò iam hominum & iumentorum pars fame perire. Decreto autem regio edictum publicè fuit, vt quidquid victus apud quemquam eſſet, cum ſociis communicaretur, atque iumenta etiam diuiderentur. itaque hoc modo tredecim aliis diebus per ſolitudines pererratum, tandemq́ue in montes Nisbor deuentum eſt, in quibus Iudæi habitant. Perſarum igitur copiæ in hortis & pomœriis, quæ plurima in loco erant, & ſecundum fontes cõquieuerunt: erat verò anni hora, qua fructus maturi ſunt. Comedebant igitur & vaſtabant, neminemq́ue hominem ad ſe prodeuntem videbant: verùm in montibus vrbes ac turres proſpiciebant quamplurimas. Miſit itaque rex duos ex miniſtris ſuis, qui rogarent, quænã in montibus illis habitaret natio, atque ad eam omnino tranſirent, vel nauigio vel natatu tranſmiſſo flumine. Illi autem pontem inuenerunt magnum, inſtructis turribus munitũ, atque oſtio occluſo; vltra pontem verò vrbs magna erat. Clamantibus autem exploratoribus ante pontem, prodiit vir quidam; à quo

Montes Nisbor.

rogati quid quæritis, aut cuius nam eſtis; non intellexerunt, donec interpres quiſpiam, qui Perſicam linguam nouerat, acceſſit: cui roganti reſponderunt, Perſarum regis miniſtri ſumus, miſſi vt quæramus quinam vos ſitis, & cui ſeruiatis. quibus ille reſpondit: Iudæi ſumus, neminique regi aut principi ex gentibus ſeruimus; ſed cuidam principi viro ex Iudæis. Rogati autem de cultoribus ventorum filiis Guth ex Cophar Althorech, reſponderunt; Gens eſt nobis fœdere coniuncta: quicumque autem illis nocere ſtudet, nobis nocere eum velle arbitramur. Reuerſi igitur ad regem exploratores, rem omnem retulerunt; qui vehementi timore correptus eſt. Poſtridie verò prœlium Perſidis regi à Iudæis eſt denuntiatum, qui ſe non veniſſe aiebat ipſis bellum illaturum, ſed Cophar Althorech hoſtibus ſuis. quòd ſi ipſi pugnare ſecum vellent, ſeſe vlturum eam iniuriam occiſis omnibus Iudæis qui in Perſidis regno habitarent: exploratum enim ſibi eſſe eos in illo loco fortiores ſe eſſe; orare præterea ipſos, ne ſe pugna inuaderent, ſed bello aduerſus Copher Althorech experiri ſinerent, venderentque ipſi commeatus & cibos exercitui commodos. Conſilio itaque inito placuit Iudæis Perſarũ regi acquieſcere propter Iſraëlitas omnes in illius regno habitãtes. Admiſſus igitur

igitur rex cum exercitu omni dies quindecim apud illos honorificentiſſimè exceptus peregit: interim verò rem omnem per nuncios & litteras Copher Althorech fœderis ſui compotibus Iudæi indicarunt: qua cognita illi coactis copiis, hoſtem ad montium tranſitus expectauere; aduenientemque Perſen opportuno ipſis loco adeò ingenti clade affecerunt, vt cum exiguo numero fuſum, in fugamq. verſum redire in ſuam regionẽ coëgerint. Accidit autẽ, vt Iudęus vnus ex hac prouincia Moſes nomine ab equite quodã Perſa dolo ſeductus Perſidis regem ſequeretur; atq. vbi in Perſidem eſſet deuentum, ab eodem equite in ſeruitutem redactus poſſideretur. Cùm verò aliquando ij qui arcubus vtebantur, præſente rege luderent, indicatus eſt illi vnus Moſes omnium iaculandi dexteritate præſtantiſſimus: qui à rege per interpretem rogatus, conditionis ſuæ rationem apertè expoſuit: continuoque libertate donatus, purpureis & ſericeis veſtibus indutus, regiiſque donis auctus eſt: poſtulatuſque, vt ipſorum religionẽ ſuſciperet, magnarum diuitiarum ſpe & conditione propoſita, atque etiam præfectura apud regiam domum promiſſa. quod cùm ille ſe facturum benignè negaret; tamen à rege apud Magnum Salom principem vniuerſitatis Achphahan eſt collocatus; cuius etiam

etiam filiam vxorem patre volente duxit: idemque ipſe Moſes mihi omnem hanc hiſtoriam narrauit. Atque ex his regionibus cùm deflexiſſem iter, in regionem Chevazthaan me contuli, quam Tigris fluuius alluit; qui inde delapſus, in Hodu, hoc eſt Indicum mare defluit, inſulamque Nekrokin ſub oſtiũ amplectitur, ſex dierum itineris ſpatium cõtinentem; in qua vnicus tantùm fons eſt, neque aliunde quàm ex collectis imbribus bibitur; caret enim fluuiis; neque ſeritur aut colitur ager ille: eſt tamen celebris maximè commercio Indorum & inſularum in mari Indico ſitarum, & mercatorum regionis Senaar & Æliman & Perſidis aduehentium eò genera omnia ſericæ & purpureæ veſtis, lini & bombacis, canabi & telæ Indicæ, quam Moch vocant, tritici, hordei, milij, auenę magnam copiam; omnia etiam ciborum, leguminum omnia genera, quæ inter ſe commutant & vendunt. Indici autem mercatores aromatum copiam ingentem eò conferunt. Inſulani verò inſtitorum & interpretum munere inter ceteros funguntur, atque hac vna arte viuunt. Sunt verò in illo loco Iudæi circiter quingenti. Hinc naue conſcenſa ſecunda nauigatione decem diebus in Kathiphan ſum deuectus, vbi Iſraëlitarum quinq. millia ſunt: his locis Bdellius lapis inuenitur, miro

Cheuazthaan. Tigris. Indicum mare Hodu. Nekrokis.

מוך

איים

Kathipha.

Bdellius lapis.

Niſan. Março.

miro naturæ opere confectus. Quippe vigeſima quarta menſis Niſan ros in aquas quidam decidit, quem collectum incolæ inuoluunt, & concluſum in mare coniiciunt ſua ſponte demergendum ad fundum vſque maris. medio autem menſe Tiſri duo homines funibus in mare ad fundum vſque demiſſi, reptilia quædam collecta in auras deferunt; è quibus fiſſis & ruptis lapides illi proferũtur. Inde ſeptem dierum itinere in Haaulam deueni, quod initium eſt regni Solem pro Deo colentiũ, gentis videlicet ex filiis Chus aſtrorum contemplatricis. Sunt autem atri coloris homines, ſinceri & maximæ fidei, tum in promiſſis & receptionibus, tum in donis etiã. His moris eſt, vt venientes ad ſe ex aliis remotis regionibus in portu receptos per ſcribas tres nominatim deſcribendos curent, nominaque ad regem deferant: deinde ipſos etiam ad eundem deducant; quorum merces in ſuam ipſius fidem receptas rex in agro expoſitas relinqui iubet, nullo cuſtode adhibito. Præterea præfectus vnus in publica domo ſedet, ad quem quidquid in tota regione cuipiam perire accidat, defertur, facileque à rei ipſius domino inde repetitum recipitur, modò certa ſigna indicentur, quibus perdita agnoſcatur res. Atque hæc fides in omni illo regno communis & publica eſt. Regio hæc omnis

Luna Martij

Agosto. Tisri.

Auguſti lunatione.

Haaulam à noſtris vocatur Zeilan

Solis cultores.

Chuſſitæ aſtrorum inſpectores.

Paſcha Iudæorum.

omnis à Phaſe vſque ad anni initium per totum vernum æſtiuumq́ue tempus maximo calore exæſtuat. Quamobrem à tertia diei hora ad veſperam vſque homines omnes in domibus concluſi latent. Poſtea verò lucernis & lampadibus per cuncta fora plateaſq́ue omnes incenſis ac diſpoſitis ſuas artes & operas exercent per totam noctem: id enim interdiu præ æſtu facere minimè queunt. Naſcitur autem in hac regione piper arboribus per incolas plantatis in ſingularum vrbium agris. Sunt verò ſingulis proprij horti aſſignati & noti. arbuſcula ipſa exigua eſt, ſemenq́. profert album, quod ab illis collectum in pelluibus imponitur, atque calida aqua madefactum Soli exponitur, vt exſiccetur, & obduratum conſeruari poſſit: atque ita nigrum contrahit colorem. inueniuntur ibidem cinnamomum & zinziber, compluraque alia aromatum genera. Huius regionis incolæ ſuos mortuos non ſepeliunt, ſed medicamentis & aromatibus variis conditos in ſedibus collocant, retibuſq́. amiciunt certa ſerie ſecundum ſingulas familias diſpoſitos: areſcit autem illis caro cum oſſibus, & adeò rigeſcit, vt viuentibus etiam ſimiles eſſe videantur. Singuli verò ex viuentibus maiores ſuos à multis annis deducta ſerie agnoſcunt. Colitur autem ab his Sol aris frequentibus & magnis

Piper.

Quomodo mortuos ſuos curent.

extra

extra vrbem per omnia loca ad dimidium miliare exſtructis. Summo itaque mane cõmuniter excurritur aditurq́ue Sol, cui in cunctis aris ſimulacra ſunt ſacrata ad ſimilitudinem orbis ſolaris magicis artibus conſtructa. exoriente autẽ Sole orbes illi incẽdi videntur magnoq́ue ſtrepitu ſonant. Habent autem ſinguli ſingulas acerras in manibus, tam fœminæ quàm viri; omneſq. pariter thura Soli adolent. Hæc via illorum ſtultitia ipſis. Sunt » verò apud hanc gentem in omnibus locis Iudæi, quorum ſumma vt maximè ad mille domos in vniuerſum protenditur, non minus atro colore quàm indigenæ ipſi; viri tamen boni ac ſimplices ſunt, præceptorumq́ue cultores qui Moſis legem obſeruant, & prophetas legunt; doctrinalium verò librorum & cõſuetudinis non omnino expertes habẽtur. Ex horũ regione profectus in inſulas Cheneraḡ Chenerag. duobus & viginti diebus nauigaui, quarum incolę ignẽ colunt: appellanturq́ue Dugbijn: inter eos verò habitant Iudęorum viginti tria millia. Habent autem Dugbijñ ſacrificu- Dugbijn. los ſuos per ſingula loca in templis ipſorum ſuperſtitioni dicatis: ſunt verò huiuſmodi ſacrificuli omnium ariolorum & incãtatorum totius orbis terræ peritiſſimi in omni vanitatis huius genere. Ante ſingula autem fana cãpus magnus & latus eſt, in quo ingens ignis Ignis cultus. omnibus

Elhotha. omnibus diebus ardet, quem ipſi Elhotha vocant: ſolent autem filios ſuos per hunc ignẽ tranſmittere expiandi cauſſa: mortuos etiam ſuos in mediũ rogum coniiciunt exurendos. Sunt præterea ex terræ magnatibus qui ſeſe viuos igni deuouẽt. Cùm verò quiſpiam horũ familiaribus & neceſſariis atque propinquis ſuis huiuſmodi ſibi inſtitutam deuotionem indicat, continuò ſumma omnium gratulatione & communi voce audit: Beatus tu, & bene tibi erit. Igitur quo die votum exoluendum eſt, magno conuiuio primùm exceptus, ſi diues fuerit, equo vehitur; ſin verò pauperior, pedes ſuorum aliorumq́ue turba comitatus ad campi vſque initium deducitur, vnde curſu inito in ignem inſilit: tum verò familiares cognatiq́ue omnes & conſanguinei tympanis & choreis ſumma cũ lætitia exultant & ludunt, quoad ille omnino combuſtus fuerit. Triduo autem pòſt, duo ex præcipuis ſacrificulis illius domum adeuntes, familiæ omni domum parari præcipiunt patri ipſorum eadem die ipſis affuturo, atque quid ipſos facere oporteat declaraturo. Aduocantur igitur ex ciuitate teſtes aliquot, & ecce Satan illius ſpeciem imitatus adeſt, quem vxor & filij rogant quemadmodum cum illo in illo altero ſæculo agatur. quibus ille reſpondens, Veni, inquit, ad ſocios meos, à quibus

Ignicolarũ error.

à quibus non excipior, donec ea exoluam, quæ familiaribus & propinquis debeo meis: extemplo filiis res diſtribuit ſuas, iubetq́ue debita omnia creditoribus perſolui, & à debitoribus quidquid debeatur, exigi, teſtibus omnia ipſius verba & mandata excipientibus atque deſcribentibus, à quibus tamen non videtur: tum verò ſe viam ſuam repetere dicens, euaneſcit. huiuſmodi itaque errore, mendacio & fraude ſacrificulorũ illorum calliditate & artibus magicis extructa, vanitatem ſuam gens hæc tuetur ac mordicus tenet; ſeſeq́ue nationum omnium terræ beatiſſimam eſſe iactat. Ab his inſulis quadraginta dierum nauigatio ſuſcipitur tranſire volentibus in regionem Sin, quæ pars orientalis eſt: ſunt verò qui dicant mare illud quo iter fit, eſſe mare exciſum ſiue fretum, interdum æſtuoſiſſimum aſtro Cheſil ſubiectum, cuius vi tantus nonnumquam excitatur ventus, vt nulli mortalium nauigando ſuperari poſſit, aut effugi: intrudit enim nauigia in ipſas maris anguſtias, vnde extricari & effugere non poſſunt; hærentq́ue diutius quoad commeatu omni abſumpto homines pereāt. neque verò rarò naues hoc modo periclitantur: verùm huic incommodo hominum induſtria proſpectum eſt, atque euadendi ratio eſt adinuenta, quam cognoſcere non fuerit

Sinarum regio.

Fretum Sinarum.
Cheſil.
Orion.

iniucundum. Sic autem res habet: Boum coria integra quamplurima in nauibus imponuntur, nauigantium hominum numero paria; qui cùm vento acti in illas anguſtias intruduntur, ſinguli ſingula ſubeunt; atque collo introrſum complicato, ita colligant, vt aquę aditus obcludatur: tum ſeſe rotantes & mouentes in mare è nauigio deiiciunt. quos cùm maximæ aquilæ illis regionibus familiares gryphes dictæ proſpiciunt, boues aut animalia alia eſſe putantes, aduolantes eripiunt, atque in aridam aſportant: tunc verò depoſitis in valle vel monte incumbunt, vt ipſis diſruptis paſcantur. verùm opportuna celeritate vſus qui intra coriũ includitur homo, feram ipſam gladio confoſſam vulnerat & occidit: atque hoc pacto complures euadunt. Illinc tribus itineribus in Gingalan inſtituitur nauigatio, quæ diebus quindecim per mare conficitur, vbi Iſraëlitæ ferè mille ſunt. Hinc ſeptem dierum nauigatione in Cholan veni, vbi nullus ex Iſraëlitis eſt. Inde verò duodecim diebus in Zebid, in qua regione pauci Iudæi ſunt. Hinc octo diebus in Hodu mediterraneam, hoc eſt Indiam Æthiopicam, quæ ſuæ gentis vocabulo Baghdaan dicitur, eadem eſt Gheden, quæ regioni Thelaſſar adſcribitur: in qua regione maximi altiſſimique montes ſunt; in hiſque multi ex

Gingala. Cholan. Zebid. Hodu mediterranea. Baghdaan. Gheden. Thelaſſar.

Iſraëlitis habitant nulli gentium iugo ſubiectí: habentq́ue vrbes & turres in montium dorſis extructas, vnde deſcendentes armata manu regionem Hamaghtam bello infeſtát, quæ eadẽ Lubia eſt ditionis Edom, cuius incolæ Lubij ſiue Lybies vocantur: qua ſæpe direpta & expoliata Iſraëlitæ in montes ſuos ſeſe recipiunt, vbi à nullo mortali bellum ſibi inferendum timent. Ex iis verò Iſraëlitis qui in hac regione Ghadan ſedes habent cõplures in Perſiden & in Ægyptũ negotiorũ cauſſa iter faciunt. Inde ad regionem Azzuan dictá viginti dierum iter cõficitur per ſolitudines Seba ſecundum Piſſon fluuium, qui ex montibus Chus, id eſt Æthiopiæ, deſcendit. Habent autem hi Azzuanæi regem qui Iſmaëlitide lingua Sultan alhhabas vocatur. Horum hominum pars quædam belluarum more viuit, herbiſque paſcitur apud Piſſonis fluminis ripas inuẽtis; nudi per agros vagantur, ita vt à ceterorum hominum ſenſu ac mente remoti eſſe videantur. concubitu vtuntur promiſcuo & obuio, nulla cognationis, neceſſitudinis, familiaritatis aut ætatis vel ordinis ratione habita: regionem inhabitant calidiſſimam. hos cùm ceteri Azzuanæi prædæ cauſſa impetunt, obiectis in agro pane triticeo, paſſis vuis, aridiſque ficubus, ad cibũ accurrẽtes capiunt: abductoſque in Ægypto

Hamaghtham.

Lubia. Lubij.

Azzuan regio.

Piſſon flu.

Chus.

atque in aliis finitimis regnis vendunt. Atque
hi ſunt ſerui illi nigri omnibus notiſſimi ex
Cham. poſteritate Cham. Ab Azzuaan duodecim
Hhalauan. itinera peraguntur ad Hhalauan vſque, vbi
Iudæi trecenti ſunt. Inde verò coniunctis
turmis quinquaginta dierum iter fit per ſoli-
Tſahhara ſolitudo. tudinem, cui nomen al Tſahhara in Zeuilan
Zeuila. Hhauila. regionem quæ eadem Hhauila eſt, ea videli-
Geena. cet quæ in tractu Geenę ſiue Gineæ eſt. Sunt
autem in ſolitudine illa frequentes arenæ
montes, quę ventorũ vi nonnumquam mota
& fuſa iterfacientiũ hominũ turmas integras
obruit & perimit: qui verò huiuſmodi peri-
culum vitare aut effugere potuerunt, multis
rebus onuſti redeunt: vt ferro, ære, variis fru-
ctuum & leguminum generibus; ſale etiam:
aurum præterea & pretioſiſſimas margaritas
Chus. aſportant. Eſt autem regio hæc in terra Chus
cui nomen eſt Alhhabas, occaſum verſus.
Hhabas. Ab Hhaluan itineribus tredecim in metro-
Kits. polim Kits venitur, quæ caput initij Ægypti
Ægyptus. eſt: in ea Iudæorum circiter triginta millia
Pium. ſunt. Inde vſque ad Pium quinque dierum
Pithon. iter eſt: hæc olim Pithon dicebatur; vbi Iu-
dæi viginti ſunt: viſuntur autem adhuc ho-
die non exigua monumenta operum à patri-
bus noſtris in illius vrbis ædificatione extru-
Miſraim. ctorum. Inde in Miſraim quatuor itinera
conficiuntur, vrbem magnam iuxta Nili ri-
pas

pas ſitam, ex qua toti regioni nomen eſt factum, in qua Iudæi bis mille ſunt, in duas diuiſi ſynagogas; alteram Iſraëlitenſium, quæ Saamiin ſynagoga dicitur; alteram verò Babylonienſium Ghirhhakiim ſynagogã appellatã. Varius alteris atque alteris mos & ritus in annuarum lectionum diſtributione obſeruatur. Quippe Babylonienſes conſueuere ſingulis hebdomadis Paraſſas ſingulas legere, ea ratione quæ toti Hiſpaniæ ſollennis eſt: itaque ſingulis annis legem abſoluunt. Iſraëlitenſes verò ſingulas Paraſſas in ternos ordines diuidunt, atque ita triennio legem perlegunt. Vtrique autem ſollenni ritu bis in anno ſimul coniuncti preces fundunt, die videlicet lætitiæ legis, & die feſto latæ legis. Inter hos omnes primas tenet Nathanael primorũ maximus, caputque Synedrij; qui omnibus Ægypti vniuerſitatibus præeſt, atque magiſtros & æditus præficit. eſtque inter primos & familiariſſimos miniſtros magni regis in palatio atq. ſolio Soan regię videlicet in vrbe Miſraim conſtitutæ, quæ vrbs filiis Ghereb, hoc eſt, Arabibus omnibus metropolis eſt: nomẽ verò regis eſt Amir Almumanin Eli filius Abitaaleb: cuius terræ incolæ omnes Moredim, hoc eſt rebelles vocãtur: quippe qui ſeſe abalienauerint ab Amir Almumanin Al ghabazzi ſedẽte in Bagdad. quam-

Saamiin.

שאמיין
עירחקיין

Lectionis ſacræ partitiones.

Soan ſiue Tſoghan. Miſraim.

 obrem

obrem magna atque perpetua inter vtrumq. regem ſimultas eſt. Habet autem hic ſolium in Soan regia ipſi dicata. Prodit verò bis in anno, ſemel tempore paſchatis feſti ipſorum, atque iterum iis diebus quibus Nilus amnis exundat. Atque Soan ipſa muris cincta munitaque eſt. Miſraim verò nullos muros habet, ſed ex altero latere Nilo ambitur. Eſt verò hæc maxima vrbs, multis foris atque publicis domibus inſtructa, Iudæos multos diuites habet. regio ipſa neque pluuiam neq. gelu neque niues vmquam vidit, calore verò nimio exæſtuat. Nilo irrigatur, qui ſemel quotannis Elul menſe exuberans, terram omnem operit & inundat ad itinera quindecim; durantibus aquis toto Elul & Tiſri, humumque fœcundantibus. Atque antiquorũ ſolertia & diligentia illa fuit, vt in inſula quã fluuius facit, columna ſtatueretur duodecim cubitis ipſa communi defluentium aquarum ſuperficie altior; quæ cùm exuberante flumine tota operitur, certiſſimum ſignum eſt integræ inundationis totius regionis ad quindecimum vſque iter: cùm verò ad medium tantum aquæ excreſcunt, dimidiam regionem ſolummodo irrigatam arguunt. Singulis autem diebus quidam ei rei præfectus aquarum exuberationem metitus in Soan rediens clamat: Laudate Deum, quia tantũ vel

Iulij lunatione

Auguſti luna.

tantum

tantum amnis excreuit. namq. diebus quindecim fluuij incrementum plerumque durat; qui ſi columnã omnino operit, eiuſdem anni vbertatem promittit maximam. Quicumque verò agros in ea regione habent, cõductis operis foueas magnas aperiunt, in quibus decreſcente Nilo piſces recepti continẽtur; quos inde captos & abſtractos incolæ comedunt, vel ſalitos mercatoribus aliò aſportandos vendunt. Suntq. fluminis illius piſces oppidò pingues, quorum adeps eliquatus ad lucernarum vſus ſeruatur. Quiſquis verò illis piſcibus vel abundè ſatur eiuſdem fluminis aquam bibat, nihil omnino mali ſentit aut patitur. Eſt enim aqua illa ſimul & potus & medicina aduerſus huiuſmodi repletiones. Fuit autem perpetua quæſtio variaque inter homines de Nili exundatione opinio, ſed Ægyptiorum ſententia eſt: eodem tempore quo fluuius hic exũdat, vehemẽter pluere in ſuperioribus regionibus, hoc eſt in terra Hhabas, quã Hhauilam nominari diximus. Quo tempore fluuius non exundat, nihil in Ægypto ſeritur; atque ex hoc ſterilitas & fames cõſequitur. Seruntur agri * Marhheſuan menſe, Nilo iam in alueum ſuum recepto: hordea verò metuntur mẽſe ° Adar: triticum autem proximo pòſt menſe, hoc eſt Niſan, eodemque menſe ceraſa matura ſunt, &

Piſciũ vſus.

Nili aqua.

Vnde Hhabaſſini Æthiopes quos Græci perperam Abyſsinos vocant.

* Sub Septẽbrem

° Februarij fine.

 amygdala

amygdala & cucumeres, cucurbitæ, ſiliquæ & fabæ, ſpelta, & lens atque cicer, variaque olerum genera, vt portulacæ, aſparagi, & lactucæ, coriandrum, cicoriæ, braſſicæ & vuæ. Denique terra fertiliſſima, omniq́ue bono plena eſt. irrigantur autem horti & pomœria ex lacubus, lacunis, & ex aquis fluminis. Náque flumen ad Miſraim vrbem delatú inde in quatuor capita diuiditur; ex quibus vnum Damiatan præterfluit, Caphtor olim dictam, iuxta quam in mare illabitur. Secundum defluit in vrbem Raſir Alexandriæ proximam, ibidemq́ue ſeſe mari immiſcet. Tertium decurrit ſecundum viam Aſmon maximæ vrbis in Ægypti termino: iuxta ſingula illa fluuij capita multæ vrbes, arces, oppidaq́ue frequentia ad vtramque ripam ſita ſunt. Licet autem hominibus omnia peragrare, ſiue nauigiis, ſiue terreſtri itinere. nulla in toto terrarum orbe regio habitationum frequentia huic conferri poteſt; regio autem omnis plana, omniſq́ue feraciſſima & bonis refertiſſima eſt. A Miſraim noua, antiqua Miſraim duabus leucis diſtat, verùm tota vaſtata deſertaq́ue eſt: retinet tamen murorum atque domorum veſtigia multa; viſendaq́ue præbet theſaurorum & horreorum Ioſeph monumenta non pauca. in eodem etiam loco artificioſiſſima columna eſt, magica arte exſtructa,

Nili diuiſio.

Damiata.

Raſir.

Aſmon.

Miſraim.

Horreorum Ioſeph monumenta.

ſtructa, cui nulla ſimilis in tota viſitur terra. Horrea verò illa calce & lapidibus cõſtant opere firmiſſimo. Extra vrbis ambitũ ſynagoga eſt Moſis doctoris noſtri in pace degentis nomine appellata, antiqui operis, quam adhuc extantem ſenex quidam miniſter colit diſcipulus ſapientum, quem Alſich Abunetſer, id eſt ſenem cuſtodiæ patrem vocant. Eſt autem dirutæ illius Miſraim diameter trium ferè miliarium, vnde ad regionem Goſſen octo paraſangæ ſunt: ea Bulzzir Zzalbizz dicitur, vrbs magna, in qua Iudæi circiter mille ſunt. Hinc dimidium iter conficitur in Ghizkaal leGhein alZzemezz, quæ olim Raghmeſſes fuit, nunc dirutæ vrbis ruina, in qua opera multa conſpiciuntur à patribus noſtris quondam ædificata, in hiſque ingentes quædam moles turrium inſtar ex lateribus conſtructæ. Inde integrum iter fit ad AlBubiig vbi Iudæi ducenti ſunt. atque hinc in Manziphtha dimidio die venitur, vbi Iudæi ſunt ducenti. A qua vrbe Ramira quatuor diſtat paraſangis, in eaque ſeptingenti Iudæi ſunt; vnde ad Lamhhala quinque dierum iter eſt, vbi quingenti Iſraëlitæ ſunt. Duobus pòſt itineribus Alexandriam venitur, vrbẽ ex Alexandri Macedonis nomine ſic appellatã, cuius iuſſu ædificatam & firmiſſimè munitam fuiſſe legimus, magna murorum, ædium

Synagoga Moſis.

Goſſen.

Bulzzir Zzalbizz.

Ghizkaal Ghein Alzemezz.

Raghmeſſes

AlBubijg.

Manziphtha.

Ramira.

Lamhhala.

Alexandria.

Gymnaſium Ariſtotelis.

& palatiorum pulchritudine. Extra vrbem ædificium viſitur magnum & ſpecioſum, quod gymnaſium fuiſſe dicitur Ariſtotelis Alexandri præceptoris, in quo viginti ferè ſcholæ ſunt, totius orbis hominibus olim frequentatæ, qui eò conueniebant Ariſtotelis philoſophiam diſcendi cauſſa; & inter ſingulas marmoreæ columnæ erant. Eſt autē vrbs ipſa ſuper ſoli pauimentum egregiè, vti diximus, ædificata, & ſubterraneis cryptis & fornicibus, cuius plateis occultis homines in fora venire poſſunt, ita vt non videantur: ex quibus aliquę integro miliari protenduntur, vt a porta Reſid vſque ad portam marinam; in qua porta via facta & ſtrata fuit ad portum ipſum Alexandriæ vrbis, quæ ad miliare vnū intra mare porrigitur; quo loco turris ædificata fuit editiſſima, cui nomen incolæ faciunt Magraah, Arabes verò Magar Alecſandria, hoc eſt Alexandriæ pharon; in cuius

Pharos.

